



**Johannis de Bruyn Defensio doctrinae Cartesianaæ, de
dubitacione et dubitandi modo, ut & de idea Dei in nobis,
deque existentiae ejus demonstratione ex ea idea : adversus
objectiones Reineri Vogelsangii, insertas indignationes justæ,
&c.**

<https://hdl.handle.net/1874/31214>

JOHANNIS DE BRUYN

DEFENSIO

Doctrinæ Cartesianæ,

D E

D U B I T A T I O N E

E T

D U B I T A N D I M O D O,

Ut & de Idea Dei in nobis, deque existentiæ ejus
demonstratione ex ea Idea.

*Adversus objectiones REINERI VOGELSANGII,
insertas Indignationi justæ, &c.*



AMSTELODAMI,

Apud DANIELEM ELZEVIRIUM,

MDCCLXX.

188. 1429



EXTRACT

*Uyt de resolutien van de Ed. Mog. Heeren Staten's Landts van Utrecht,
Joris xi Martii 1669.*

Gesien het Tractaet geintituleert Reyneri Vogelsangii V. D. M. & S. S. Th. Professoris in Ecclesia & Illustri Gymnasio Sylvaducensi Indignatio justa contra libellum , cui titulus *Philosophia Sacre Scriptura interpres exercitatio paradoxa*, hare Ed.Mog. gediceert en alhier overgelevert; en kunnen wel-gemelde hare Ed. Mog. deselve dedicatie niet aennemen om redenen.



APOLOGIA NECESSARIA

PRO

Dubitacione Cartesiana, adversus iniquas criminationes,
& insulsas cavillationes insertas indignationi justæ
REINERI VOGELSGANGI, contra libellum, cui
titulus, Philosophia S. Scripturæ interpres.

DISPUTATIO PRIMA,

*Sive repetitio disputationis 15 de Naturali Dei cognitione,
habita ad diem 4 Martii 1668.*

I. **P**RUDENS antehac libellus cui titulus, *Philosophia S. Scripturæ interpres*, ejus auctor postquam satis irreverenter omnibus qui ante ipsum fuere Theologis exprobrasset, quod legitimam S. Scripturas interpretandi methodum hactenus ignorassent, meliorem actutiorem quærens, se diu multumque secum reputasse sedulo ait, an quemadmodum Cartesio in *Philosophia*, sic & sibi in *Theologia* liceret, conduceretque in dubium revocare quidquid in dubium revocari posset, idque continuo tanquam falsum rejicere, donec tandem ad aliquid in *Theologia* firmum ac stabile, quo tuto pedem figere posset, perveniret &c. Atque immediate ante magnis elogiorum titulis Cartesium ejusque philosophandi methodum ornaverat; sc. quod ea *Nobilissimus ac incomparabilis Vir Renatus Des-Cartes*

Primus inaccessum qui per tot secula verum

Eruit è tetris longæ caliginis umbris,

Philosophiam ab ipsis restauravit fundamentis, à tot tantisque quibus fratebat, repurgavit lacunis, ac proprio nativoque restituit nitor; qualisque sit ea methodus indicaverat his verbis, nempe præjudiciorum omnium abdicatio serua, & nullius rei nisi clare distinetque perceptæ assensio. Vir quidam celeberrimus sententiam istius auctoris de methodo interpretandi S. Scripturas, publicis disputationibus refutaturus, quanquam haud igno-

A

raret

raret Cartesium nolle ut sua methodus extenderetur ad ea quæ à Deo sunt revelata, utpote qui expressis textibus istud sèpius inculcaverat ipso fatente, & citante, è re tamen sua esse judicavit, si hanc occasionem arriperet, bellum Cartesio móvendi, ejus philosophemata contemnendi & philosophandi Methodum impugnandi. Quia vero Viri hujus auctoritas, utpote Theologi non stupidi, & haud nullo numero apud multos plurimum valere posset, animosque studiosorum alicinos reddere ab ista philosophia, & philosophandi methodo, quam hactenus cum bono fructu docuimus, & studiosis commendavimus, nostri munera esse putavimus, breviter examinare quæ hac de re Vir celeberrimus lectoribus exhibuit, ac ostendere ipsum nullis armis solidis instructum bellum hoc inchoasse: atque capropter aliquantisper differemus ulteriore inquisitionem in attributa Dei. Ut enim autem omni modestia & animi moderatione, ut Philosophum decet; à scommatibus, acerbe dictis, & duris exclamationibus abstinebimus, illis ab adversario nos vinci patiemur, rationum tantum momenta ponderabimus, nudamque veritatem in conspectum dare conabimur, secuturi filum disputationum ejus.

I. Disputatione 1. th. 7. ad prædicta Cartesii elogia ita respondet.
Cartesii sane reperta, Disciplinam Physicam & Ontologicam quod attinet, per pauca esse, probatu facillimum puto, si hoc jam ageretur. Tantum ferme aliorum inventa compilavit atque digessit, nonnulla addidit, quadam corrupti. Ad hæc notamus 1. nos plurimum nobis gratulari, quod Vir Celeberr. istis suis dictis os obturet adversariis, quibus nihil est familiarius quam continuo clamare Cartesio & Cartesianis nihil sapere, quam quod novum est. 2. Parum referre unde Cartesius sua hauserit, modo usus sit principiis certis & manifestis, iisque convenienter sit ratiocinatus. 3. Facile istæ contemni posse, cum ipsa Cartesii scripta satis ostendant quid vir incomparabilis in Philosophia præstiterit, atque id jam diu agnoverint complures viri eruditæ per totam Europam, qui sine præjudicio ea sedulo legerunt, & cum veterum philosophematis contulerunt. 4. Verendum esse ne viri cordati, qui se auctoritate hujus Theologi duci non patientur, hoc pro calunnia sint habituri, nisi demonstretur; adeoque auctor essem Viro Celeb. ut ab ea suspicione se purgaret, & quod sibi factu facillimum putat, probaret ac ostenderet. 5. Probandum etiam esse ex quorum Philosophorum scriptis sua compilaverit. 6. Nulla veritatis specie dici posse Cartesium aliorum inventa corrupisse, cum nullos auctores citet.

III. Ne autem nihil boni in Cartesii scriptis esse videretur statuere Vir Cel. praecedentibus immediate subjungit, *Quæ non istuc à me dicuntur, quasi non lubens exoscular, quæ vir non stupidus, & Philosophus haud nullo numero, non infeliciter alicubi commentatus est.* Ad quæ notandum est, parum id curandum esse, quod Cartesius apud ipsum in tam vili sit pretio, ut non mereatur dici vir sagacis ingenii & eruditus; passionibus enim nimium videtur induluisse cum hæc scribebat; nam postmodum cum bilis deferuit *disp. 4. th. 30.* in majori aliquanto videtur habuisse pretio Cartesium ejusque philosophemata; hæc enim ibi leguntur. Verum enimvero, de dubitatione Cartesiana quæ disputata sunt hactenus, non in eam partem capi velim, quasi nimirum cordi mihi sit universim & promiscue suspecta reddere Cartesii philosophemata, vel contemptum illi, si qua possim, conciliare. Agnosco viri sagax ingenium, qui non pauca certe tanquam ex adyto pectoris edidit egregia responsa: *Certius & recta multo ratione magis, quam Pythia quæ tripode è Phœbi, lauruque profata unquam fuit.* Itaque non parum erret, meo iudicio, qui non illum habeat pro Philosopho non insini subsellii: sed Eclectico qui dicta veterum recentiorumque Philosophorum aurea depositus insigni cum delectu fuit atque digessit. Quod sane demonstratu non admodum difficile &c. Conferat, qualeo, hæc lector inter se, ac judicet, cum ista prioribus adeo sint dissona, an auctor animum habuerit utrobique eodem modo dispositum. De cætero qualemque sit Viri Cel. de Cartesio iudicium; magnus ne illi sit Philosophus, an mediocris, an minimus parum resert, cum cuilibet ad ejus scripta aditus pateat, ex quibus sine præjudicio disci potest quantus sit.

IV. Post hæc *thes. 8.* Vir Cel. Cartesii philosophandi methodum, quam anonymous ad summum fastigium evexerat, hac ratione impugnare aggreditur. Sic igitur, inquit, *existimo, plane toto cælo hoc differre: nimirum de omnibus dubitare, de quibus dubitari potest, eaque pro falsis habere, item omnia revocare in dubium, quæ in dubium revocari possunt, eaque rejice-re: quæ videlicet philosophiæ Cartesiana & cœgnytatiæ sunt: atque præjudiciis & præconceptis opinionibus renunciare, item, iudicium suspendere: cuiusmodi ferme phrasibus abusionem durissimam, & minime necessariam, neque tolerandam, n̄ conantur extenuare, quibus etiam fiercora Cartesii non disperlicant.* Rationes, inquit, *quare sic sentiam, variae sunt.* Ac postquam præjudicij & præconceptæ opinionis definitiones præmisit, ita porro statuit; *Prædicis & præconceptis opinionibus renunciate nihil aliud est, quam definere iudicare ante rem probe cognitam, vel definere opinari ante justam indaginem.* Sed & suspendere iudicium nihil aliud est, quam à iudicando supersedere.

4

*Atquā profectō nihil horum est dubitare. Nam dubitare, nisi plurimum fallor,
est judicare. Quid enim est, obsecro, dubitare aliud, quam inter adversas
opiniones hærere medium, quia scilicet utrinque vel undique judicaveris aequalē
vel præterpropter pondus est rationum? Atque illud clare nimis compre-
bare ait ipsam verbi etymologiam, quam idco libentius se adducere di-
cit, Quia præivit Clarissimus Claubergius omnium, qui Cartesiana platica
perditissime depereunt, facile princeps. Ac porro in medium profert loca-
quædam ex ipsius tractatu de dubitatione Cartesiana. Dixrat ille ex I-
sidoro, dubius dicitur *incertus*, quasi duarum viarum. Ad quod respondet,
eum qui *judicium suspendit non esse viarum duarum, sed neutrius aut nullius
vie.* Sic ad vocabulum græcum ἀμφιστένεω, quod Claubergius dixe-
rat derivari ab ἀμφις & βάω, quasi in utramque partem eo, respondet
suspendere judicium esse in partem neutrām vel nullam ire. Similiter ad ety-
mologiam vocis Germanicæ zweifelen, quasi ad duo cadere, non ad-
hærere uni, tanquam ex zwei & fallen, eodem respondet modo. Atque
hoc facto duplii victoria lætus, & quod probaverit dubitare longe
aliud quid significare, quam suspendere judicium, & quod hostem
proprio suo jugulaverit gladio, ex imo pectore quasi ipsum misereret
adversarii sui profligati, alta voce exclamat, Eheu! *Quam non bene
Clarissimo Claubergio prosunt, que depropnsit è penū sua philologica tam exer-
tim jactitata!* Atque iterum quasi triumphum canens, *O penum phi-
logicam parum tempestivam & commodam!* Sed vero juvat penitus ali-
quanto hæc omnia introspicere, & videre an non triumphum cecinerit
ante victoriā.*

V. Dubitare Viro Cel. est judicare. *Quid enim est, inquit, obsecro,*
dubitare aliud quam inter adversas opiniones medium hærere, quia scilicet ut-
rinque vel undique judicaveris, aequalē vel præterpropter pondus est rationum.
Resp. At vero, qui inter adversas opiniones ita hæret medius, de op-
nionibus istis nihil determinate judicat; sive definit opinari, quod re-
vera nihil aliud est, quam judicium de iis opinionibus suspendere, sive
à judicando supersedere, ut per se manifestum est. Neque Vir Cel. id
negare potest, qui ipse ex Aristotele locum citat th. 9. quo id confir-
matur; illic enim inter cætera hæc occurunt. *Quatenus quis dubitat, ea-*
tenuis aliquid simile ligatis patitur; quoniam impossibile est in alterutram par-
tem ultra procedere. Quid hoc aliud est quam abstinere ab assensu præ-
bendo alterutri parti? Manifestum igitur est vel ex ipsa Cel. Viri de-
finitione, dubitare & judicium suspendere esse re ipsa unum idemque.
Præter hæc & ipse voces eas ut synonymas usurpat ibidem: explicata
turus

turus enim quæ fuerit mens Academicorum , de media videlicet non
vaque Academia, dicit totam eorum sapientiam nihil aliud fuisse quam
dubitatem , sive *ouenit ledg*, id est , evanidam neque uspiam fixuram
pedem speculationem &c. & Arcesulae mentem proponens , ait ipsum
contendisse nec verum in rebus esse nec falsum ; eoque *in omnibus esse*
cohendum assensum. Quid hisce clarius dici potest , *tota eorum sapientia*
nihil aliud est quam dubitatio , & illi contendunt in omnibus esse coh-
bendum assensum. Idem profitetur cum Pyrroniorum , qui inter hosce
dubitantes recensentur præcipui , vocem esse dicit *nihil definitio*.

V I. Cicero *Acad. Qu. Libro 1.* codem modo explicat dubitationem
hisce verbis , *Illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus , & nul-
la affirmatione adhibita consuetudinem differendi reliquerunt*. Idem videre
est & aliis in locis , ut & passim apud Sextum Empiricum. Sed non
est opera pretium ut prolixius ostendatur voces illas familiariter ut
synonymas usurpari , quandoquidem ipse Vir Cœlēstis dissimulandum
haudquaquam esse profitetur in fine th. 9. *Verbum dubitandi laxiores*
haud raro significatus , & impro prios induere. Quomodo , exempli causa , du-
bitare dicuntur , qui vel idem faciunt aliquatenus , vel simile quipiam ac qui
dubitant. *Id est qui non temere jurant in verba magistrorum : qui subito non*
*assentiantur : qui rationum pondera , quibus adstruitur veritas , diligenter ex-
pendunt , atque identidem examinant , nonnullas etiam , forte , non ita solidas*
abiciunt & loco movent : quique penitus & iterum atque iterum explorant
argumentationes , quibus alma veritas impugnatur. Quid aliter Cartesius
& Cartesiani unquam per dubitationem intellexerunt ? Equis le-
ctor ex hisce judicet an non Cartesiani summa afficiantur injuria ,
qui ex Cartesio mentem ipsius de dubitatione ita interpretantur , cum
accusantur , quod ejusmodi ferme phrasibus *abusione durissimam &*
minime necessariam , neque tolerandam conentur extenuare ; quodque
iis etiam stercora Cartesii non displiceant.

V II. Sed & proprius examinandum est , an & quomodo is qui du-
bitat dicendus sit judicare ; & an non de eo qui præjudiciis renunciat ,
& judicium suspendit , idem simili modo sit dicendum. Qui dubitat ,
sive inter adversas partes medius hæret , is neutri vel nulli parti assen-
sum tribuit : idem facit , ut ostendimus , qui renunciando præjudiciis
judicium suspendit. Par igitur utrobique quoad actum judicij est ra-
tio ; atque adeo qui dubitat vel non judicare dicendus est , si qui ju-
dicium suspendit non judicet : vel uterque æqualiter judicare dicen-
dus est. Ergo inter illa duo ex hoc fundamento nulla differentia ,

quæ ex natura rei desumitur, est singenda. Sed ut res fiat magis manifesta, inquirendum est quale judicium in actu dubitandi locum habere possit. Qui inter adversas partes medius hæret, nulli assensum præbens, non potest dici de singulis partibus determinate aliquid opinari; interim tamen fatendum est hic judicium aliquod intercedere, quo determinatur nihil de ulla parte determinandum esse. Sed & idem obtinet in eo qui præjudiciis renunciando suspendit judicium, quia & ille actu aliquo judicii determinat nihil esse determinandum. Haec tenus igitur Vir Cel. nihil habet contra Cartesium & Cartesianos in quo sibi glorietur.

VIII. Sed forte res melius ipsi succedet in ratione quæ desumitur ex etymologia; sed & ex ea parte illi nihil subsidii relictum esse facile ostendi potest. Qui dubitat, inquit, est quasi duarum viarum: sed vero qui judicium suspendit non est viarum duarum, sed neutrīus aut nullius viæ: ergo dubitare non est judicium suspendere. Sed respondetur eum qui dubitat ita esse duarum viarum, ut hæreat in medio, & abstineat ab electione, quod est judicium suspendere. Sic cum dicitur *αὐφισθέντω*, quasi in utramque partem eo, id non ita intelligendum est, quasi utraque pars determinetur; alias enim etymologia ipsimet Viro Cel. obstat, cum dicit eum qui dubitat inter utramque partem hærere medium; sed intelligendum est ita in utramque partem ire ut nulli parti adhæreas, sed assensum cohibeas. Idem dicendum est de etymologia Germanicæ vocis *zweifelen*. Judicet lector sine præjudicio an Vir celeberrimus triumphum sit meritus. In sequentibus ad reliqua examinanda progrediemur.

DISPUTATIO SECUNDA,

SIVE

Repetitio Disputationis XVI, de Naturali Dei Cognitione, habitæ ad diem 25 Aprilis 1668.

Qua refutatur REINERI VOGEL SANGII Disputatio Theologica prima, opposita disputationi precedenti A. 1668, 31 Martii, & continuatur apologia.

I.



Uia jam prodiit disputatio Viri Celeberrimi continens vindicias contra criminationes, (ut ille loqui amat) præcedente mea disputatione contentas, antequam pergamus in reliquis examinandis, quantum fieri potest brevissime quædam ei reponenda esse duximus. An autem ego laborem ipsius in retundendis Anonymi propudiosis flagitiis (ut loquitur) interturbaram; an ego ipsi super ista commentatione publice dicam scripserim, lector judicet an non longe à vero abeat; cum ne verbulum quidem unum in mea disputatione compareat, quod dogmata Anonymi de interprete Scripturaræ vel minimum attingit. An non maximam etiam moderationem pro circumstantiarum ratione adhibuerim alii judicent, qui ipsius disputationes cum mea conferre dignabuntur. Certe nimis temere & fine ratione suspicatur Vir Cel. me ulcisci voluisse vicem impurissimi hominis (Anonymum designat), cæterum de Schola Cartesii &c. cum thesi prima sola & unica ratio à me allegata sit propter quam Cartesii defensionem suscepimus; atque eam etiam nunc justissimam esse pronuncio. Absit vero ut tanta siamus (sicut Vir Cel. innuere velle videtur) Cartesii mancipia, ut ipsum non alicubi hallucinatum esse credamus, & ut ne latum quidem unguem à præformatis ipsius sententiis secedere audeamus, vel quempiam secedere sine criminatione patiamur. Quantum ad me non adhæreo Cartesio propter Viri illius auctoritatem; sed quia ipsius philosophandi methodum adeo accuratam, & philosophemata adeo vero consentanea esse judico: suum etiam judicium liberum

rum libertissime relinquo cuilibet, & amice dissentientes nihilo minus propterea amore prosequi studeo. Verum cum tanto contemptu & acerbitate disputationem instituere contra Cartesium, & per ejus latus contra omnes, qui ipsius philosophemata in magno habent pretio, præcipue contra piæ memoriarum Theologum & Virum moderatissimi ingenii Claubergium, qui placide Cartesii dubitandi rationem defenderat, istud sane ferre non potuimus propter rationem thesi prima nostræ disputationis allegatam. An etiam Vir Cel. occasionem anxie non quæsiverit, sed oblatam ultro non sine necessitate arripuerit crassissimos Cartesii errores (sic loqui voluit) sine ullius admodum læsione (O tempora! O mores!) refutandi, alii judicent; certe Viri Politici in Academia Leydensi hunc tantum prætextum vanum esse credent, aliudque latuisse mysterium. Ad ea quæ Vir Cel. dixerat, Cartesii sc. reperta, Disciplinam Physicam, & Ontologiam quod attinet, per pauca esse, probatu esse facillimum, ipsumque tantum ferme aliorum inventa compilasse, atque digestisse, nonnulla addidisse, quædam corrupisse, præter alia notaveram etiam verendum esse ne viri cordati, qui se auctoritate hujus Theologi duci non patientur, hoc pro calumnia sunt habituri, nisi demonstretur, meque propterea auctorem esse Viro Cel. ut ea suspitione se purgaret, &c. Post hæc allegata impotenter exclamat, En modestiam & animi moderationem, quam Vir Cel. pauculis ante lineis ambitissime promiserat; en fidem! Sed facile ignosco fortassis enim vir bonus quid loqueretur haud intellexerit. Sed judicent alii an suadere alicui in tali casu, ut à calumnia suspitione se liberet, sit modestia limites transilire. Porro puto me adeo parum mentis compotem non esse, ut non intelligam, quid loquar. Facile autem ignosco bono huic homini, etiam si vel plura dixisset; non enim ipsi, sed bili, supra modum æstuanti, hæc imputanda veniunt. Sed operam perderem, si nugalia cuncta, quæ ipsius disputatione continentur, singulatim attingerem; ea enim est conditio eorum, qui quidlibet temere effutiendi licentiam sibi sumunt, ut nunquam eos ad modestiam quacunque vi trahas; ac propterea impostherum ea tantum examinare pergam, quæ reale aliquid continere videntur, neque ulla personalia, quæve ad rem principalem non spectant multum attingam.

I I. Vir Celeberrimus dixerat dubitare esse inter adversas opiniones hæret medium, quia sc. utrinque vel undique iudicaveris aequaliter vel preterpropter est pondus rationum; Ad ea respondi, eum qui inter adversas opiniones ita hæret medius, de opinionibus istis nihil determinatè judicare, sive definere

desinere opinari , quod revera nihil aliud est , quam judicium de iis opinionibus suspendere , sive à judicando supersedere , ut per se manifestum est . Regerit Vir Celeberrimus th. 5. Aliud esse simpliciter hærere medium inter adversas opiniones , aliud esse ideo hærere medium , quia sc. utrinque vel undique judicaveris &c. Qua disjungi non debuissent . Nam qui pro sententia quapiam pondus agnoscit rationum , fieri non potest ut minimum , quin eam assensu quodam prælibet , quamvis forte non prorsus amplectatur . Quod si vero pro sententiis adversis aequalia , vel præterpropter , quispiam facere judicaverit rationum pondera , fieri non potest , quin assensu quodam veluti per vices adversæ sententiæ prælibentur . Hæc animi tumultuatio , nunc hoc nunc illud approbantis , uti putem , est dubitatio propria dicta . Ad illa hæc notanda veniunt . Agnoscit hic Vir Cel. & eum qui dubitat , & qui suspendit judicium hærere medium inter adversas opiniones , quod est nihil de iis determinate judicare : quæstio igitur tantum est , an qui judicium suspendit non æquali jure , ac is qui dubitat , dici possit , quia pro sententiis adversis aequalia , vel præterpropter facere judicaverit rationum pondera , assensu quodam veluti per vices adversas sententias prælibasse . Cur autem id dici non possit non video ; cum enim veritati quærendæ serio incumbimus , examinare solemus rationum pondera pro adversis sententiis , quæ se menti offerunt , & animadvertentes nunc ab una nunc ab alia parte probabilitatem , facile nunc in unam nunc in aliam partem inclinamur ; sed quia evidentem demonstracionem non videmus ab ulla parte , assensum cohibemus , atque in medio hæremus nullam partem amplectendo , accuratius examen instituturi , ut felicius errores evitemus . Sed inquit Vir Cel. simpliciter hærere medium aliud est , quam hærere medium , quia &c. Si simpliciter significet ita hærere medium sine ulla rationum prælibatione , vellem ut locus adducatur in quo vel Cartesius , vel Cartesianus quispiam ita sit locutus . Imo aliam esse Cartesii mentem quilibet novit : is enim ubi hanc materiam tractat ab omni parte rationum pondera , quibus mens moveri posset , profert , & examinat , & deprehendens eas non esse demonstrativas , tantisper judicium suspendit , donec accuratius , quam antea factum est , institutum sit examen . Et quis non miretur alicui super hisce moveri litem ? an enim suspensio judicii desinit esse suspensio judicij ; quia utrinque vel undique judicaveris , æquale vel præterpropter occurrit pondus rationum ? Et an non generaliter suspensio judicij est vocanda , quoties à judicando supersedemus , & in quantum nihil determinate judicamus ? Manet igitur verum dubitare

& judicium suspendere esse revera unum & idem, ac male Cartesium & Cartesianos accusari, quod ista confundant, quasi grande aliquod crimen admisissent. Si Vir Cel. hisce acquiescere non possit, pergit porro cavillari, & nodum in scirpo querere, per me licet.

III. Porro cum Vir Cel. statuat eum qui proprie dubitat ita assensum alternare, sive assensu quodam veluti per vices adversas sententias prælibare, *ut in alterutram partem nihil absolute definitur*, concedit nobis dubitantem eatenus de ipsis partibus nihil determinate judicare, sive judicium suspendere; adeoque proprie dictam dubitationem, ut loquitur, esse suspensionem judicii, ultra quod nihil amplius desideramus. Quod autem Vir Cel. addit frustra Doct. Claubergium etymologiam vocis adduxisse *pro mera duntaxat & simplici retentione assensus*, *uti nempe vel alterutram, vel utramque in partem alternatim nullum omnino vergat judicium neque ulla subsit animi hoc atque illuc impulsio*, frustra dicitur, nullibi enim, quod sciam, Claubergius dubitationem explicat per talem meram & simplicem duntaxat retentionem, quæ non admittit opinionum prælibationem quandam, vel judicii inclinationem in unam vel in alteram partem. Hæc dixit ex Menochio JC^o. *Dubius is dicitur, qui cum duas vias habet, utram eligat nescit, &c.* atque illud, ut manifestum est, revera est judicium suspendere. Ad ea quæ pro confirmatione sententiæ nostræ adduxi ex Aristotele, & ex eo quod ipse voces eas ut synonymas usurpet non semel, etiam dum agit de dubitatione, ut loquitur, proprie dicta; ex iis quæ citat de Academicis: item ex Cicerone, nihil reponit quod vel responsionem meretur, vel de quo jam actum non est.

IV. Quia etiam Vir. Cel. concedebat dubitationem adeo laxe familiariter satis sumi, ut idem denotet quod judicium suspendere, judicavi id nobis sufficere ad ostendendum Cartesianos summa affici injuria, cum, dubitationem explicantes per judicii suspensionem, accusantur, quod ejusmodi phrasibus abusionem durissimam, neque tolerandam conentur extenuare. Ad ea respondet Vir Cel. exclamans,, do, *Adeone quenquam esse somnolentum?* An ego tale quippiam,, scripsi? Egone, inquam, scripsi durissimam & minime tolerandam,, abusionem esse, si quis forte dubitationem dixerit pro suspensiōne,, judicii, vel abrogatione præjudiciorū? Hoc scripsi, toto cœlo,, hæc distare, nimis de omnibus dubitare, de quibus dubitari posse,, test, eaque pro falsis habere, item omnia revocare in dubium, quæ,, in dubium revocari possunt, eaque rejicere, quia vid. hasce Carte-
lianæ

sianas phrases adhibuerat *Anonymous* : atque præjudiciis & præ-
conceptis opinionibus renunciare , item judicium suspendere &c. “
meque malæ fidei accusat. Sed respondemus. 1. Nos bona fide egis-
se , & summam rationem habuisse credendi Virum Cel. ista intelle-
xisse de ea dictorum suorum parte: postquam enim ista dixisset , ut
vera esse probaret , immediate post subjungit , *Rationes quare sic sen-
tiam varia sunt* , nihilque aliud aggreditur , quam ut probet quan-
tum dubitare , & judicium suspendere differant: Nimis igitur teme-
rario & præcipitanter adeo acerbe mecum agit Theologus. Sed igno-
scendum est ipsi , quia enim causam suam defendere non potuit , mens
ipsi multum turbata fuit. 2. Quantum ad reliqua , quæ adversarius
admisit , de iis postea erit dicendi locus , ubi agendum est de modo
dubitandi cum ipso. 3. Notandum quoque est , si dubitatio adeo la-
xos significatus sœpe induat , Viro Cel. fatente , quorundam attinuit de
hisce adeo morose disputare , & altercari? Anne voluit penum suam
philologicam ostendere ? Sed notum est eam sordere , cum parum
tempestive producitur : sufficit enim nobis si Cartesianis licuerit sine
crimine vocem dubitationis ita sumere ; neque multum referret ad
ipso , sive proprie dicta sive improprie dicta ea vocaretur dubitatio.

V. Thesi 7. ita sum ratiocinatus , *Qui dubitat , sive inter adversas par-
tes mediis heret , is neutri vel nulli parti assensum tribuit ; idem facit qui præ-
judiciis renunciando judicium suspendit* , ut ostenderem , si dubitare es-
set judicare , ut Vir Cel. dixerat , idem dici debere de eo , qui suspen-
dit judicium ; vel si suspendere judicium non sit judicare , idem de
eo qui dubitat esse dicendum. Ad istud responderetur quod thesis mea
nitatur *mutilatione iidem ac prava expositione definitionis* , qua descripsit
dubitatem proprie dictam , quia sc. addendum erat *idcirco herere me-
dium* , quia utrinque , vel undique *judicaveris &c.* Sed frivola ista nimium
sunt , quam ut debeant objici. Cum enim in dubitatione nihil deter-
minate judicatur eo ipso suspenditur judicium , nec refert utrum ra-
tionum pondera huc atque illuc assensum inclinent , & alternent ;
istud enim efficere non potest quo minus maneat suspensio judicii ,
quamdiu sc. nihil determinate judicatur , isti enim judicandi actui de-
mum opponitur judicii suspensio.

VI. Porro ut responderem iis , quæ à vocis etymologia sunt de-
sumpta , dixeram Th. 8. *eum qui dubitat ita esse duarum viarum* , ut ha-
reat in medio , & abstineat ab electione , quod est judicium suspendere. Hæc
adversario *Mirifica philosophatio* visa est , quæ istuc recidit , quasi dixisse ,

eum qui dubitat ita duarum viarum esse, ut non sit duarum viarum. Argute sane hic disputat Vir Cel. sed respondemus manifestissimam implicari contradictionem, si dicatur, eum qui hæret in medio inter duas vias, aliter esse duarum viarum, quam quia neutram eligit. Dubius inquit Menochius apud Claubergium is dicitur, *qui cum duas vias habet utram eligat nescit.* Quæ Vir Cel. respondet ad etymologiam vocum αμφιεντιω & zweyffelen ejusdem sunt furfuriſ. Post hæc quasi re bene gesta pro more ſuo proterve admodum mihi iuſtulat. *Quid eſt,* inquit, *nugas agere, ſi hoc non eſt? Nisi forte duo & utrumque non ſint duo & utrumque ſed neutrum & ne unum. O Muſteam ſubtilitatem?* Ac porro conatur oſtendere in quo tota coniſtat frauſ, quod ſc. non diſtinguan inter aſſenſum alternum, & vagum, & fluctuantem, quippe quatenus adverſarum opinionum utraque vel ſingulae nonnihil habeant, vel habere forſan ridiſi queant, unde coniſterantibus aliquo ſaltē uſque poſſint alluſcere: atque inter aſſenſum ſive juſdicium plane determinatum, quo fit ut alterutri vel unii parti totus adhæreas. Sed meminiſſe debuiſſet Vir bonus me *diſputationis preceſ. th. 5.* & alibi ſaepius dixiſſe, quatenus nihil determinate juſdicator, juſdicium ſuſpendi; neque id pugnat cum aliqua juſdicū inclinatione in unam vel in aliam partem, uti maniſtum eſt in præcedentibus etiam docuiſmus. Atque hæc dicta ſufficient pro defenſione diſputationis noſtræ. Ignoscat, quæſo, lector quod diſputatio ha-tenus tam pauca realia coniuerit; ſed cum adverſarium nauctus eſt, qui aliud nihil, quam nugalia quædam argumenta, & meras cavillationes, objicere potheſt, idque admodum glorioſe, quaſi aliquid magna laude dignum præſtaret, fieri aliter non potheſt.

V I I. Pergendum nunc eſt, & videndum quid porro Vir Cel. ob- jiciat circa dubitandi modum. Dicit th. 10. *ſe non poſſe non improbare duras abuſiones, qua poſtea commentis argutifimis ad ſanum ſive tolerabilem ſenſum vix rediguntur.* Jubet enim Carteſius non tantum dubitare de omnibus, de quibus dubitari potheſt, ſive in dubium revocare omnia, qua poſſunt in dubium revocari: perum etiam ſic dubitare, ſicque in dubium revocare, ut pro falsis habeas atque rejicias. Circa hæc notandum eſt Carteſium docere, 1. De omnibus dubitandum eſt, & aſſenſionem cohibendam, in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiſſimus non minus quam ab aperte falsis: quod rationi conſentaneum eſt nemo negare potheſt, qui novit mentem veri amantem non poſſe acquiescere, quamdiu eviden- tibus & certis demonstrationibus non eſt convicta de veritate; quia fine iūis erroris periculum ſe evadere non poſſe periuafa eſt. 2. Docet nondum

nondum sufficere ista adverteſſe, curandum eſſe ut recordemur; quia
 affiduo recurrent (loquitur Cartesius de opinionibus & præjudiciis
 quibus adhæſimus ſine prævio manifeſtæ rationis lumine, de quibus
 prima Med. jam jam egerat.) conſuetæ opinioneſ, occupantque creduli-
 tam nostram tanquam longo uſu & familiaritatis jure ſibi devincentiam,
 fere etiam nobis invitis; adeoque nunquam nos facile iis aſſentiri, &
 confidere deſinere poſſe, quamdiu tales eſſe ſupponamus, quales ſunt
 revera, nempe aliquo quidem modo dubias, ut jam jam oſtentum eſt,
 ſed nihilominus valde probabiles, & quas multo magis rationi conſen-
 taneum fit credere, quam negare. Atque eapropter rationi conſen-
 taneum eſſe docet, ſi voluntate in contrarium verſa nos ipſos falla-
 mus, illasque aliquamdiu (nempe donec rationes dubitandi ſuper-
 vimus) omnino falsas, imaginariaſque eſſe fingamus, ſive, ut alias
 loquitur, pro falſis habeamus, id eſt earum non majorem habeamus
 rationem, quam ſi forent falſæ, neque iis ullo modo fidamus in ac-
 curata veritatis inquiftione, quod eſt eas tantisper rejecere. Judicent
 alii an haec ſint abuſiones dura, que poſtea commentis argutiffimis ad ſanum ſive
 tolerabilem ſenſum vix rediguntur; ut Vir Cel. loqui voluit. Certe vali-
 dioribus argumentis debuifſet eſſe inſtructus ad id probandum; nu-
 gales enim & chymæricas tantum rationes profert. Hoccine, inquit, nihil
 aliud eſt quam ſuspendere judicium, vel præconceptas opinioneſ tantisper ne-
 gliſere, vel ſcita ſua recognoscere, neque quidquam vel affirmare vel negare?
 quomodo dubitationem ſuam non ſemel exponit Cartesius, ejusque ſequaces in-
 telligendam eſſe paſſim dejerant. Quid enim? Anne judicium ſuspendere
 non potius eſt, neque pro veriſ neque pro falſiſ habere? Item neque rejecere,
 neque admittere? Quis hic non credat Virum Cel. ſomnolentum fuif-
 ſe, neque potuiſſe advertere, quid Cartesius dixerit, cum haec ſcribe-
 ret; vel eum Cartesium nunquam legiſſe cum attentione; vel fuifſe
 nescio quibus paſſionibus abreptum? Cartesius enim iſta quidem
 duo, ſcilicet de omnibus dubitandum eſſe, ſive judicium ſuspenden-
 dum, in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicioſem reperimus;
 eaque, de quibus dubitamus, pro falſiſ eſſe habenda ſæpe conjungit,
 nullibi vero dicit illa eſſe unum & idem; ſed præter dubitationem,
 propter rationem jam allegatam, alterum illud quoque in accurata ve-
 ritatis inquiftione utiliſſimum eſſe pronunciat. Atque hic impræfen-
 tiarum finem imponimus, proxima vice ad alia perrecturi.

R E S P O N S I O

A D

R E I N E R I V O G E L S A N G I I Disputationem Theologica-
cam secundam, quæ opposita est præcedenti meæ disputationi
A°. 1668. 16. Octobris. Et continuatio Apologiae.

I.  Diversarius thesi prima se meam disputationem secundam sic legisse ait, tanquam garrientem aniculam contigisset audire. Ita plane multa dicendo me nibil dicere. Benignius sane judicium ab homine malitioso, & qui judicium fert in propria causa, non expectavi. Ego item hanc æquo lectori, & qui à partium studiis alienus est, libentissime judicandam relinquo. Exprobret etiam, quod ipsius phrases usurpem: meque ipsius ornem plumis: & quod litigantibus, ac litigiosis mulierculis in more positum est, verissimas exprobrationes, quamcunque nullo colore, si qua possem, retorquere coner. Fieri potest ut aliquando ipsius phrases usurpaverim: Verum si præmonuisset sibi in eo injuriam fieri, potuisse mihi cavere. Quin etiam, cum adversario respondeatur, circumstantiae id exigere possunt, ut scilicet ipsi adimatur occasio exprobandi quod mentem ejus non satis bona fide expresseris. Neque diffiteor me easdem exprobrationes, quas ille in Cartesium, Claubergium, & me vibraverat, in ipsum retorsisse aliquando, sed parcus. Creditne homo vanus sibi soli licentiam esse factam quidlibet aliis exprobandi, ipsis autem nullam relictam esse libertatem tela intorta retorquendi? Sed justam ipse habuit causam id faciendi, mihi autem nulla fuit. Alii id judicent: interim ille sibi blandiatur quantum placuerit, & effutiat quidquid in buccam venerit, per melicit.

II. Præcedente disputatione thesi prima hæc mea occurruunt verba,
An autem ego laborem ipsius in retundendis Anonymi propugniosis flagitiis, nisi loquitor, interturbarim: an ego ipsi super ista commentatione publice dicam scripserim, lector judicet, an non longe à vero abeat, cum ne verbum quidem unum in mea disputatione compareat, quod dogmata Anonymi de Interpretatione Scriptura vel minimum attingit. Ad ea exclamando ita respondeat. Os hominis! Adeone quenquam perfictæ frontis esse, qui tam fortiter ausit ne-

gare, quod ita nuper factum palam omnibus est? Egregie sane! Perge
 porro istac ratione cum ingenti rictu blaterare; & experire num au-
 daces fortuna juvare velit. Interim mei esse officii judico penitus ali-
 quanto hæc examinare: atque eum in finem operæ pretium est verba
 tua ad quæ ista scripsi, in medium producere. Ea autem disputatione
 prima thesi prima ita sese habent. *Equidem haud putaverim ullum facile*
hominem fore paulo religiosorem cui libitum esse posset meum laborem inter-
turbare, qui non aliquotissimum spectabat, quam ut Scriptoris Anonymi pro-
pudiosa flagitia retunderem, quibus ille Divinarum litterarum auctoritatem
impudentissime proscindit, & vero religionem Christianam, si qua posset,
funditus universam subruere conatur, edito libello &c. Visum tamen, inquit,
fuit Viro celeberrimo super ista commentatione publice mibi dicam scribere:
quia forte per occasionem prolatum à me fuerat aliquid non satis ad gustum
suum, adque normam Cartesii. Ex hisce quilibet à partium studio alien-
nus judicet, an cum ulla veri specie dici possit me adversarii laborem
interturbasse in propudiosis Anonymi flagitiis retundendis, quibus sc.
ille divinarum litterarum auctoritatem impudentissime proscindit, &
religionem Christianam funditus univerfam subruere conatur, & su-
per ista commentatione ipsi publice dicam scripsisse, qui solummodo
ad examen revocare statui aliquid, quod ab ipso, ut ait, forte per oc-
casionem prolatum fuerat non satis ad gustum meum, adque nor-
mag Cartesii; cum ne verbulum quidem unum in disputatione mea
compareat, quod Anonymi dogmata de interprete Scripturæ, qui-
bis refutandis ille potissimum incumbebat, vel minimum attingit.
 Hisce adde, quod eam philosophandi methodum, eamque Philosophiam
 defendendam suscipiam, quam à multis retro annis in Academ-
 mia hac professus sum, quamque ipse indignis adeo modis exagitat, &
 scurrilibus dictiis suis ludibrio exponere conatur, ut cuilibet patere
 potest scripta ejus vel leviter insipienti. An qui hoc unicum ago dicen-
 dus sum Adversarii laborem interturbare in retundendis &c. eique su-
 per commentatione istac publice dicam scribere? An non ipse potius
 summo jure accusandus venit, qui adeo petulanter & citra necessitatem
 mortuis leonibus Cartesio & Claubergio insultat, & quidem in ma-
 teria de dubitatione, quam ab ipsis ad res religionis non extendi novit
 & fatetur, quæque per consequens ad Anonymi dogmata de interprete
 Scripturæ nihil attinet? An non ipse censendus est necessitatem re-
 spondendi mihi imposuisse istac sua scriptione? Quis enim adeo ab
 omni sensu destitutus esse posset, qui non defenderet illam discipli-
 nam,

nam, quam profitetur, & quam rationi consentaneam esse judicat, cum illam tanquam ludibria nimirum & nugas theatrales rideri videt & quidem à Viro professione Theologo? cum notum sit magnam eo nomine ex veteri præjudicio scriptis solere conciliari auctoritatem apud plerosque mortales? Judicetur ex hisce, & ex iis quæ à me contra hunc hominem duabus disputationibus præcedentibus disputata sunt, an ego *dicteris atrocissimis, neque vel ullo verbo Iesu immerentem prosciderim*: & an non *impudentia & perfida frontis crimina*, quorum me reum facit, in ipsum cadant.

III. A thesi secunda ad sextam adversarius responsurus ad ea, quæ porro eadem thesi prima disputationis meæ dixeram, præter scommata futilia, sarcasmos atroces, & omnis generis scurrilia dictæria, quibus me prosequitur, nihil reponit, quibus neque libitum est respondere, neque si vellem possem; fateor enim ingenuæ me tales artes nunquam addidicisse, semperque judicasse eas esse homine, nedum Christiano, indignissimas. Victum igitur me hic fateor ab hoc Theologo. Neque multum miror hanc viam ipsum institisse, utpote qui sciam probe malam causam aliter, neque solere, neque posse defendi. Interim rogo æquum lectorem, ut, quæ ego dixi, cum Adversarii dictis conferre dignetur, & causæ hujus judicium suscipere velit.

IV. Thesi sexta adversarius hæc mea verba citat, quæ occurunt disputationis meæ thesi secunda. *Questio igitur tantum est, an qui judicium suspendit non equali jure, ac is qui dubitat, dici possit, quia pro sententiis adversis equalia, vel præterpropter, facere judicaverit rationum pondera, assensu quodam veluti per vices adversas sententias prælibasse.* Atque ad ea hunc in modum respondet. *Satis indiligerent, inquit, & sordide. Veruntamen quia non aliter homo est; hic Rhodus esto, hic saltus. Quid ergo, Vir celeberrimus?* Cur autem, inquit, id dici non possit non video. Quæ philosophatio, quantum arbitror, istuc recidit, quasi dixisset eum qui suspendit judicium, sive qui retinet assensum, non tamen assensum retinere, vel judicium suspendere, sed judicio quodam & assensu prælibare sententias adversas. Papa! Quam pulchre Vir Cel. eludit operam meam! Qui cum aliud esse credere suspendere judicium sive retinere assensum, aliud assensum sive judicium alternare, sive judicio quodam & assensu prælibare sententias adversas, quoniam equalia, vel præterpropter, utrinque vel undique rationum esse pondera judicaveris, ab etymologia contra Claubergium probaveram dubitandi verbum proprie non significare suspensionem judicii, sed assensus alter-

nationem. Atqui meus homo putat eum, qui suspendit judicium, sive retinet assensum, etiam quoque non suspendere judicium nec assensum retinere, sed judicio quodam & assensu pralibare sententiarum divortia. Quam inepta hæc sit cavillatio faciam ut luce meridiana clarius patescat. Argumentum meum thesi secunda tale fuit: *Dubitare, describente adversario, est inter adversas opiniones hærere medium; quia scilicet utrinque vel undique judicaveris æquale, vel preterpropter, est pondus rationum.* At qui inter adversas opiniones ita hæret medius, de opinionibus istis nihil determinate judicat, sive definit opinari, quod revera nihil aliud est, quam judicium de iis opinionibus suspendere, sive à judicando supercedere, ut per se manifestum est. Ad hoc argumentum responderat adversarius, aliud esse simpliciter hærere medium inter adversas opiniones, aliud esse ideo hærere medium, quia sc. utrinque vel undique judicaveris &c. Quæ disjungi non debuissent. Nam qui pro sententia quapiam pondus agnoscit rationum, fieri non potest ut minimum, quin eam assensu quodam prælibet: quamvis forte non prorsus amplectatur, &c. quæ legi possunt thesi allegata disputationis meæ. Ad hanc ejus responsionem notavi. Cum, agnoscente adversario, & is qui dubitat, & qui suspendit judicium hæreat medius inter adversas opiniones, quod est nihil de iis determinate judicare: questionem igitur tantum esse, an qui judicium suspendit, non aequali jure, ac is qui dubitat, dici possit, quia pro sententia adversis aequalia, vel preterpropter facere judicaverit rationum pondera, assensu quodam, veluti per vices, adversas sententias pralibasse. Addidi etiam distinctionem illam inter simpliciter hærere medium & hærere medium, quia &c. quam adversarius adhibet, ad rem præsentem nihil facere posse, quia nullus adduci potest locus, in quo Cartesius vel Cartesianus quispiam explicuerit suspendere judicium esse tantum simpliciter hærere medium sine ulla rationum prælibatione. Quintimo contrarium ex Cartesio ibidem probatum dedi; ostendique porro suspensionem judicii non desinere esse suspensionem judicii propter rationum prælibationem, & per consequens dubitare esse revera judicium suspendere, ut ibidem videre est prolixius. Quis quæso sanæ mentis alium hinc formare posset controversiæ statum, quam eum quem exhibui. Neque melioris notæ est quæ subjicitur adversarii ad præcedentia cavillatio. Arbitratur igitur eadem thesi sexta, *meam philosophationem istuc recidere, quasi dixisse, eum qui suspendit judicium, sive retinet assensum, non tamen assensum retinere vel judicium suspendere, sed judicio quodam & assensu pralibare adversas sententias.* Quis non crederet hunc hominem vel delirasse, vel per malitiam dedita opera voluisse

sensum verborum meorum pervertere, cum ita me philosophantem introducit. Verborum enim meorum sensus planissimus est, scilicet eum qui judicium suspendit sive assensum retinet, posse dici assensu quodam veluti per vices adversas sententias prælibasse, sive ante libasse, quia pro iis æqualia &c. quia quamdiu & quatenus non est determinatus assensus, est assensus retentio. Hæc est mea ratiocinatio. Eam debuisset impugnare; verum quia id, cum manifesta nimis ejus sit veritas, non potuit cum ulla veri specie, aliis artibus uti voluit ne se vietum fateretur. Imprimis vero etiam notanda sunt quæ apud eum occurruunt Indignationis justæ contra Anonymum §. 27. ubi agitur de dubitatione super existentia Dei. Oportet, inquit, ut assensus expellat longe dubitationem de existentia Dei, sive illam intelligere lubet assensus alternationem, sive cohibitionem & retentionem. Dubitatio igitur quomodo docunque explicitur expellit quoque assensum; quia si est assensus non potest esse dubitatio. Quæ porro hoc loco subjungit de dubitatione super Divini Numinis existentia postea excludentur cum ad prædictum §. 26. perventum erit.

V. Ego quæstionis articulo præcedente propositæ partem affirmantem hac ratione probavi. Cum veritati querende serio incumbimus, examinare solemus rationum pondera pro adversis sententiis, que se menti offerunt, & animadvententes nunc ab una, nunc ab alia parte probabilitatem, facile nunc in unam, nunc in aliam partem inclinamus; sed quia evidenter demonstrationem non videmus ab ulla parte, assensum cohibemus, atque in medio hæremus nullam partem amplectendo, accuratius examen institutus, ut felicius errores evitemus. Fatetur adversarius hanc esse verissimam juxta vocis etymologiam dubitationis descriptionem. Dubitatio igitur est assensus cohibitio, sive judicii suspensio, quæ instituitur, quoniam à nulla parte rationes demonstrativa deprehenduntur, propter quas assensum præbeamus; quod unicum probandum mihi adversus cum incumbebat, qui negat dubitationem proprie dictam esse cohibitionem assensus. Quod vero iterum hic ad nauseam repetit dubitationem proprie dictam non esse meram cohibitionem assensus, in eo ostendit se cum umbra sua assiduo velle pugnare; & jam saepius etiam ad id responsum est.

VI. Sed quid porro nugator garriat audiamus. Opinor autem, inquit, ut candide dicam, Virum Celeberrimum esse interpretem Cartesii longe infelicissimum. Quod multis exemplis possem clarum facere. Nunc illud sufficit, quod præ manibus est. Quid enim? putemusne Cartesium in animo habuisse

buisse dubitationem sive suspensionem iudicij, que constaret alternatione iudicij, vel saltem assensus alternationem, atque inclinationem, scilicet nunc in unam nunc in aliam partem secum traheret? Quid ni hoc putemus? Atque illud clare etiam à nobis demonstratum est eadem thesi 2. ad quam ista scribit. Ipseque protestatur Indignationis justæ §. 12. *Nefas non esse existimare, Cartesium aliquando sic dubitasse, ut assensum revera contrarias inter sententias hic illuc alternaverit.* Neque contrarium probat hic homo, cum dicit *tantum abesse, uti contra Cartesius omnia dubitabilia rejici tantisper jussit atque pro falsis haberi.* Quo de, inquit, paulo post videbimus. Putasne bone Vir te telo adeo elumbi jugulasse hominem? Longe erras; ne quidem cutem ejus attigisti. Cartesius postquam ab omni parte rationum pondera adduxisset, quæ adferri solent, & examine instituto deprehendisset eas non esse demonstrativas, iudicium tantisper suspendit, donec accuratus, quam antea factum erat, instituisset examen. Verum, inquit circa finem Med. 1. *qua consuetæ opinions assidue recurrent, occupantque credulitatem meam tanquam longo usu & familiaritatis jure sibi devinctam, fere etiam me invito, nec unquam iis absentiri, & confidere desuescam, quamdiu tales esse supponam, quales sunt revera, nempe aliquo quidem modo dubias, ut jam jam ostensum est, sed nihilominus valde probabiles, & quas multo magis rationi consentaneum sit credere quam negare.* Quapropter, ut opinor, non male agam si voluntate plane in contrarium versa me ipsum fallam, illasque aliquandiu omnino falsas, imaginariasque esse fingam, donec &c. Ubi hic quæso contrarietas appetit inter Cartesii dicta & meam interpretationem? Ego dixi Cartesium voluisse, ut propter rationes dubitandi iudicium suspenderemus sive dubitaremus; quod licet verissimum sit ab adversario negatur: atque ut contrarium probet, dicit Cartesium voluisse *ut omnia dubitabilia tantisper rejiciamus, & pro falsis habeamus.* Verum & illud est, nec priori ullo modo contrarium, sed aliquid ei superadditum. Ut nimirum facilius desuescamus assentiri & confidere opinionibus, quæ valde probabiles apparent, & credulitatem nostram tanquam longo usu & familiaritatis jure sibi devinctam, fere etiam nobis invitum, occupant, sufficere non putat Cartesius si dubitemus solummodo, sed vult præterea ut ea de quibus dubitamus aliquandiu fingamus esse falsa, sive habeamus pro falsis. Apposite ad hæc verba commentatus est Claubergius libro de dubitatione in notis ad primam Meditationem §. 42. Potest, inquit, *hæc res illustrari similitudine eorum qui fodientes arenam, rudera reliquaque materiam in ipsius fossæ marginem*

rejiciunt, inde enim, quia non satis est remota, facillime in fossam recidit. Sic etiam opiniones si tanum per assensus cohibitionem abjiciantur, facillime recurrunt, nec desinunt animum occupare (quia quamdiu ut probabiles adspiciuntur, quasi in margine fossa ponuntur) ideoque longius quasi removenda sunt per ejusmodi fictionem, qualis sequitur in Auctore. Hisce similia accurrunt apud eundem Claubergium in paraphrasi primæ Meditatio-
nis Lectio-
ne nona. & cap. 3. Dubitationis Cartesianaæ §. 16. & sequen-
tibus, ubi explicat quid sit pro falsis habere. Cum porro hac de re ad-
versarius postea se tractaturum promittit, plura hoc loco non addi-
mus. Interim ex dictis manifestum est quam inaniter homo vanus
glorietur sese hoc scire, hoc jam paulo superius ostendisse, Cartesium nihil
minus in animo habuisse, quam dubitationem propriæ dictam, que mentem
assensu variante hic illuc divexet atque distrahabat, id est nunc in hanc nunc in
illam sententiam. Futilia quoque valde sunt quæ subjungit, cum ait sese,
qua porro sequuntur (eadem sc. thesi 2. disp. meæ) interrogatiuncularum
inanias, repetitionum fastidia, tum & muliebres lamentationes de Cartesio,
de que Cartesianis, quasi vero male habitis, & crimen quod nullum sit cri-
men, illis impacto, similesque gerras lubenter præterire. Ita nimirum solet
istud hominum genus agere, cum se constrictos sentiunt, & respon-
dere nequeunt, adversariorum dicta contemnunt, rident, & calu-
miantur. Legatur modo mea thesis, & quid hac de re sit facile à
quolibet judicari poterit.

VII. Prætereo quæ hic iterum repetit de dubitatione super existen-
tia Dei, quia postea de ea agendum esse dixi. Verum cum silentio
transmittere non possum quæ homo malitiosus in Virum innocentissi-
mum Ludovicum Wolzogium deblaterat. Novi, inquit, similes &
alios interpres Cartesii prorsus insubidos, quique nati videntur in opprobrium
sui præceptoris. Ita nuper nonnemo (Wolzogius sc.) tanquam juxta men-
tem Cartesii pronunciavit; posse quidem Deum fallere si velit; sed non
velle. Quo nihil dici potest, ut mollissime loquar, inconsideratus. Huc enim
recidit male sana philosophatio; Deum posse quidem à vero desicere, si velit,
sed non velle: Deum posse quidem fieri non Deum, si velit, sed non velle.
Cumque Deus bifariam dicatur aliquid posse, nimirum vel per absolutam po-
tentiam, vel propter contrarium decretum voluntatis; sane qui facta disertum
oppositione voluntatis & potentia Dei pronunciat, posse Deum quidem fallere,
si velit, sed non velle; aperte satis insinuat, potuisse Deum & aliter consti-
tuere. Verum enim vero notandum est, uti eam sententiam belle auctor iste
fuerit executus, atque poliverit. Cum enim omnis, inquit, (Wolzo-
gius

gius sc.) qui alterum fallere aggreditur, eo censeatur in ista re superior esse, & vel acumine quodam ingenii, vel potentia, aliave quaque facultate præstare, sitque Dei tum sapientia, tum potentia, cæteraque omnia attributa infinita; quis non videt creaturas etiam perfectissimas, quia sunt semper finitæ, eopse quod creature, ab infinito Creatore posse in errorem induci. *Nolo verbis admodum exaggrare portentosa dictorum exercitū, quæ forte non attendenti per incogitantiam excidérunt.* Sedanne fas est ita parum considerante de Deo impire? Sunt lachryma rerum & mentem mortalia tangunt. Superius audivimus hunc hominem me accusasse quasi parum essem religiosus, quod ipsi publice dicam scripserim super commentatione sua, qua Anonymi propudiosa retundit flagitia, quam vere ostensum est. Verum an non summo jure ejusdem criminis accusandus venit ipse, qui tum hic, tum præcipue inferius valde prolixè cum tanta acerbitate insurgit in Wolzogium ejusque tractatum contra eundem Anonymum tanquam nefarios errores continentem variisque hæresibus facientem, & quidem postquam is adversus iniquas criminationes Johannis de Labadie orthodoxus erat declaratus ab universa Synodo Walonica. Quisnam hic primus censendus est fuisse aggressor? Num Wolzogius, qui nunquam eum vel minimum læsit? An vero credis mi homo ex speciali privilegio tibi concessum esse, quod si ab alio committeretur, grande crimen föret, & animi parum religiosi signum? Si tuus liber favorable adeo testimonium consecutus fuisset ab aliqua Synodo, latissimus tibi proculdubio apertus fuisset campus differendi de auctoritate talibus collegiis debita, & de crimine quod committeretur ab eo, qui vel hiscere auderet contra eorum judicium. Antequam ulterius pergamus ad examen eorum, quæ Wolzogio hic objiciuntur, quandoquidem de ejus libro sermo instituitur, operæ pretium est addere, cum Synodus Walonica, postquam ante sex menses suo testimonio librum Wolzogii approbasset, Dordraci præcedente vere esset iterum congregata, missa eo esse subito exemplaria quædam libri Vogelsangii vixdum adhuc è prælo nati atque antequam is hic publice venalis prostaret, quinimo antequam Nob. & Ill. Provinciæ Ordinibus quibus dedicatus erat, fuerat exhibitus, ut sc. à Patribus Synodi legi posset. Exhibuit ibidem Joh. de Labadie inter cætera aliud insuper testimonium speciale ab eodem Vogelsangio in ipsius gratiam datum contra Wolzogium, quod easdem criminationes continebat. Sperabatur proculdubio hac ratione Patres Synodi

posse induci, ut judicium ante latum de libro Wolzogii revocarent. Verum tantum abest ut id factum sit, ut iterum declararint Wolzogium ejusque librum orthodoxum. Quin etiam non obstantibus magnis adversariorum criminationibus longe præcipui totius Belgii Theologie Professores & Doctores Maresius, Heydanus, Cocceus, Burmannus, Wittichius, Schotanus, Perissonius, Beccerus, luculentis suis testimoniois declararunt quo loco dictum Wolzogii librum habeant. Neque prætereundum hic est, ausum fuisse hunc hominem librum istum virulentissimum Illustribus ac Præpotentibus Trajetinæ Provinciæ Ordinibus inscribere, & per typographum procurare, ut exemplaria ejus in singula membra distribuenda, deferrentur in curiam Provincialem; ut scilicet ea ratione, tanquam tacita approbatione eorum quæ in eo continentur, libro suo auctoritatem conciliaret adversus eos, quorum famam indignis modis proculcare in eo conatur. Sed longe aliud & hæc res habuit exitum, ut ex sequenti decreto facto ad diem 11 Martii 1669. intelligi potest. *Gesien het tractaet geintituleert, Regneri Vogelsangii V. D. M. & S. S. Theologie Professoris in Ecclesia & illustri Gymnasio Sylvaducensi, Indignatio iusta contra libellum, cui titulus, Philosophia Sacra Scriptura interpres, exercitatio paradoxa, hare Ed. Mog. gedediceert, en alhier overgeleeverd: en kunnen welgemelde hare Ed. Mog. deselve dedicatie niet aennemen om rodenen.* Mandarunt quoque ut decretum hoc in acta publica referretur, & exemplaria cum decreti extracto per ministrium ad ædes typographi ipsi restituenda portarentur. Hisce præmissis ad examen veniamus eorum, quæ hoc loco Wolzogio objiciuntur. Ut autem id commodius fiat, quædam ex ejus libro transcribenda erunt, quibus sententiam suam hac de re plenissime, & clarissime tradit. Wolzogius igitur, postquam pag. 8. Deum S. Scripturarum auctorem fecit, pag. 9. ita porro ratiocinatur. *Deus autem, cum nec frustra quidquam facere credendus sit, nec mendacum dicere possit, nec mentiri denique; quod à summa Sapientia rem inutilem, à Veritate falsum proficiat, à Bonitate deceptionem, perfectissima ejus natura repugnet; hinc sequitur & intelligi posse ac debere Scripturas, & meram veritatem iis contineri, & eam veritatem sic exhiberi legentibus eam ut oportet, ne quis in errorem inducatur.* Que tria incredibile est quantum habeant momenti ad nostræ disputationis intelligentiam, suntque in bac de Scripturis quæstione plane singularia. Ita enim cum ceteris scriptis, que humana sunt, ad unum omnibus comparatum est, ut, quando sunt ipsi Scriptores tum vani sepe, tum obnoxii

obnoxii errori, tum ad id malignitate quadam natura propensi, ut alios ve-
lint in errorem inducere, eorum scripta sunt saepe contra mentem scripta; sa-
pe falsa contineant, semper autem continere possint, sicutque tanta similitu-
dine veritatem artificiose contexta quandoque, ut in fraudem vel maxime pru-
dentes, destinato scribentium consilio, pelliceant. Scriptura nec in scopo illu-
dunt, nec in re habent falsitatem, nec in mente scribentis fallaciam. Inferius item pag. 23. eandem doctrinam egregie proponit & demonstrat.
 Alteram, inquit, regulam quam è Scripturis esse petendam dixi, hanc esse
 puto: omnes ejus partes tam apta veritatis confirmatione inter se esse colliga-
 tas, ut nullo earum diffensu luxata compages dissolvi possit. Ergo si quid vi-
 deatur sibi contrarium uno loco affirmare Scriptura, quod neget altero, aut
 sententiarum aliquam diversitatem exhibere legentibus, credendum est alter-
 utrum locum non recte percipi à nobis, & ad alterum explicandum is adhi-
 bendus est, qui, juxta regulas omnes interpretandi, plus habet probabilis
 conjectura. Non potest enim uterque tolerari, cum alter destruat alterum,
 & alienum sit rerum aliquam esse contrarietatem in ejus oratione qui falsum
 dicere non possit. Qualem secundo loco diximus esse Deum. Sequitur tertio
 loco, ut ne fallere quidem velle quemquam probemus. Non erit autem multo
 molimine opus; ut id probemus. Sufficit Deum dixisse, ut sciamus eum fallen-
 re nolle. Ex hisce ut & ex reliquo totius discursus contextu, luce me-
 ridiana clarissim patet Wolzogium non tantum sentire, sed & pro do-
 ctrinæ sue de Scripturarum interpretatione fundamento ponere
 Deum neque posse, neque velle fallere. Post hæc asserta & inculcata
 ita porro pergit. Dico nolle eum fallere, ut ne credatis non posse, si velit.
 Cum enim omnis qui alterum fallere aggreditur, eo censeatur in ista re quo-
 dammodo superior esse, & vel acutum quodam ingenii, vel potentia, aliave
 quacunque facultate prestat, sicutque Dei tum sapientia, tum potentia, ca-
 teraque omnia attributa infinita; quis non videt creaturas etiam perfectissi-
 mas, quia sunt semper finite, eopse quod creature, ab infinito creatore posse
 in errorem induci. Id tamen eum velle negamus. Ea enim decipiendi volun-
 tas intelligi vix potest, quin aliquid habere censeatur, vel malitia conjun-
 ctum, qua quis circumvenire aliquem tentat, quem sine furo & fallaciis ag-
 gredi non suffinet; vel imbecillitas animi, qua se aliter posse superiorem
 evadere diffidit. Que cum utraque magnam arguant imperfectionem, sunt
 omnino ab eo removenda, quem tanquam omnium complexione perfectionum
 absolutissimum intelligimus. Quis æquus rerum æstimator, si ad totam
 orationis seriem, antecedentia cum consequentibus connectendo &
 conferendo, ut fidelem interpretet decet, attendat, mali quippiam
 hisce

hunc contineri dicere posset. Ostenditur Deum propter perfectionis suæ infinitatem neque posse, neque velle fallere. Verum sæpenumero inter homines accidit, ut quis alium fallere quidem vellet; sed quia ingenii acumen & cognitio sufficiens ipsi defunct ad dolos fabricandos, vel etiam quia potentia requisita ad jam fabricatos exequendum destituitur, propterea dicere solemus eum id quod vellet non posse. E contra, si quis alius sit qui majore ingenii acumine & cognitione sufficienti prædictus est, & cui potentiaz vires non defunt, eum dicere solemus alium posse fallere, si velit. Cum porro Dei tum cognitio, tum potentia aliæque facultates sint infinitæ, atq; absurdum sit vel minimum defectum in eo constitueret, credendum non est Deum non posse fallere (ita sc. ut illud non posse defectum aliquem significaret in Deo, qualis in hominibus sæpe adest, & propter quem etiamsi vellent non possent) si vellet. Iste est verborum Wolzogii sensus, qui evidentissime in iis conspicitur. Quid autem in eo continetur quod culpari potest? Si vel mica candoris & charitatis in adversario fuissest istud videre potuissest, neque eum ita acerbe perstrinxissest tanquam insubidum prosus Cartesii interpretem, &c. uti superius vidimus; non etiam insulsis adeo cavillationibus usus fuissest ad dicta Wolzogii, quorum sensum malitiose pervertit, confutanda. Illud autem quam maxime hic notandum venit, voluisse hunc hominem in Wolzogio cum maxima acerbitate carpere, quod nullo modo carpendum esse vidimus, idque in gratiam Johannis de Labadie in testimonio suo contra Wolzogium dato, cum proculdubio sciverit prædictum de Labadie super hoc eodem articulo acriter exigitasse Wolzogium, quasi non satis dixisset; cum ipso judice non tantum Deus dicendus sit posse fallere, si velit, sed etiam sæpe velle homines fallere & decipere, quin etiam ex Sacris Scripturis, ipsum id revera fecisse, constare. An non hoc potius tanquam heterodoxum, & ab omni sana mente alienum, atro carbone notandum erat? Sed liberandus fuit amicus à suspensione ministerii, aliisque functionibus ecclesiasticis, quam in præterita Synodo propter heterodoxiam, & schisma meruisse judicatus est. Sed hæc de his dicta sunt; revertendumque est ad ea quæ me tangunt.

VIII. Porro igitur thesi 3. hoc modo sum ratiocinatus, *Cum Vir Celeberrimus statuat eum qui proprio dubitat ita assensum alternare, sive assensu quodam veluti per vices adversas sententias prælibare, ut in alterutram partem nihil absolute definitur, concedit nobis dubitantem eatenus de istis partibus nihil determinate judicare sive judicium suspendere, adeoque proprie*

25

prie dictam dubitationem esse suspensionem judicii ultra quod nihil amplius desideramus. Negaverat enim dubitare esse à judicando supersedere. Ad hoc argumentum thesi 7. adversarius responsurus præter scurribus exprobationes tanto viro dignas, quas transeo, & plus quam pueriles cavillationes, ad quas sæpius jam responsum est, nihil in medium producit. Imo vero, inquit, si dubitatio proprie dicta est assensus alternatio, manifestum sit eam non esse suspensionem judicii, sive assensus. Nec enim, uti existimo, quisquam negaverit, nisi prorsus vesanus, aliud esse suspensionem judicii, sive cohibitionem assensus, aliud judicii sive assensus alternationem. Certe qui dubitat proprie dictam dubitationem, nihil absolute definit, nec assensum in alterutram partem determinat: veruntamen assensu quodam judicioque prælibat contrarias opiniones: atque hæc anima veluit dubitationis est. Mirum si lector à risu se temperare possit, cum adeo inepit philosophantem audit Theologum. An non qui nihil absolute definit, nec assensum in alterutram partem determinat, suspendit judicium sive assensum? Nec ad rhumbum facit quod proprie dictam dubitationem dubitans assensu quodam judicioque, scilicet fluctuante, & nihil absolute determinante, contrarias opiniones prælibet, quodque ea prælibatio sit veluti anima dubitationis: quia ista prælibatio efficere non potest ut dubitatio non sit revera suspensio assensus, uti jam sæpius dictum est, & præter quod nihil à primo usque principio intendi probare adversus ipsius cavillationes.

I X. Quia porro adversarius dixerat, frustra Doctiss. Claubergium etymologiam vocis adduxisse pro mera duntaxat & simplici retentione assensus, uti nempe vel alterutram vel utramque in partem alternativam nullum omnino vergat judicium, neque ulla subfit animi buc atque illuc impulsio. Ego respondi id frustra dici; quia nullibi, quod scirem, Claubergius dubitationem ita explicuit per talen meram & simplicem duntaxat retentionem, que non admittit opinionum prælibationem quandam, vel judicii inclinationem in unam vel in alteram partem. Ad ista regerit adversarius hoc modo: Nimiris, inquit, quam ridicule. Nec enim questio vertebatur, quid admittat, sive dubitatio, sive suspensio vel retentio judicii, sed in quo consistat proprie dicta dubitatio. Tum vero quis hoc nescit placuisse Cartesio dubitationem, que sit abiectione preconceptarum opinionum, & abdicatio prejudiciorum. Claubergius autem vestigia Cartesii presit religiosissime. Nihil itaque clarius est, quam Cartesium & ex illo Claubergium non intellexisse nisi meram simplicemque retentionem assensus, non autem dubitationem istiusmodi, qua contrarias opiniones prælibet assensu fluctuante, vel judicis variantibus animum dividat,

vidat, &c. Respondeo 1º. Quæstio erat, ut ex dictis patet, an dubitatio proprie dicta secundum vocis etymologiam possit dici suspensio judicii; atque id, ut opinor, satis jam probatum est. 2º. Probatum quoque est Cartesii dubitationem non excludere contrariarum opinionum prælibationem. 3º. Quia tantum dubitando non satis animum à præjudiciis liberare possumus, voluisse insuper Cartesium, & ex eo Claubergium, ut opiniones, quæ mentem distrahere possent & turbare in veritatis inquisitione, quia sunt probabiles, abjiciamus, sive pro falsis habeamus, id est iis non magis fidamus quam si falsa forent, demonstratum est clare §. 6. Meræ igitur nugæ sunt quæ hic objiciuntur. Neque minus nugatur Adversarius cum addit Claubergium exertum requiri, ut dubitando neque affirmemus falsa, neque negemus vera, neque omnino quidquam affirmemus aut negemus. Atque porro eum statuere dubitationem nostram confistere solum in non receptione eorum quæ non sunt examinata, ut ostendat eum meram simpli- cemque retentionem assensus insinuasse. Neque enim in proprie dicta dubitatione, in qua quis, propter examinis requisiti defectum, cum duas habet vias utram eligat nescit, sive hæret medius, quia sc. hactenus utrinque, vel undique judicaveris, æqualia occurrunt ratio- num pondera, affirmamus falsa, & negamus vera, vel omnino quip- piam affirmamus vel negamus determinato judicio: neque etiam recipimus ea quæ nondum satis sunt examinata, ut manifestum est.

X. In fine theseos tertiaz exprobraveram Adversario quod ad ea, quæ pro nostra sententia confirmatione adduxi ex Aristotele: ex eo, quod ipse voces eas ut synonymas usurpet non semel, etiam dum agit de dubitatione proprie dicta: ex iis quæ citat de Academicis: item ex Cicerone, nihil reponat, quod vel responcionem meretur, vel de quo non est actum, ut ipsum incitarem ad seriam responcionem. Sed quia impotentiæ suæ fibi conscius est, scurriliter suo more multa deblaterare maluit, quam responcionem tentare.

XI. Cum adversarius me malæ fidei accusasset in ipsius mente interpretanda; quia dixeram Cartesianos summa affici injuria cum dubitationem explicantes per judicii suspensionem accusantur, quod ejusmodi phrasibus abusionem durissimam, neque tolerandam con- nentur extenuare; ego thesi 4. me conatus sum excusare, quia verborum ipsius contextus ipsum istud dicere voluisse clare præ se ferre videbatur, ut latius illic videre est. Verum ille ista excusatione non contentus, negat censuram illam ad illa verba spectare, meque falla-

fallaciam turpissimam divisionis commisisse ait, &c. Verum uter iustiorem habuerit rationem, an ille me accusandi, an ego me excusandi, æquus lector judicet. Verba ejus §. 8. Indignationis justæ ita se habent. *Sic igitur existimo, plane toto caelo hac differre; nimurum de omnibus dubitare, de quibus dubitari potest, eaque pro falsis habere, item omnia revocare in dubium, quo in dubium revocari possunt, eaque rejicere; qua videlicet Philosophia Cartesiana τεχνικαὶ sunt: atque præjudiciis & præconceptis opinionibus renunciare, item iudicium suspendere: cujusmodi ferme phrasibus abusione durissimam & minime tolerandam, ii conantur extenuare, quibus etiam stercora Cartesii non displicant.* Rationes quare sic sentiam varia sunt. *Præjudicium certe nihil aliud est, quam iudicium latum ante rem probe cognitam. Opinio præconcepta nihil aliud est, quam opinio, qua concepta fuit ante justam indaginem. Adeoque præjudicium & præconceptis opinionibus renunciare nihil aliud est, quam desinere iudicare ante rem probe cognitam: vel desinere opinari ante justam indaginem. Sed & suspendere iudicium nihil aliud est, quam à iudicando supersedere. Atqui projecto nihil horum est dubitare, nam dubitare, nisi plurimum fallor, est iudicare, &c.* Quis non crederet eam fuisse hominis hujus mentem ut vellet probare, si iudicium suspendere & dubitare pro iisdem sumantur, esse abusione durissimam, &c. cum immediate iis verbis subjungat, *Rationes quare sic sentiam varia sunt, & statim probare aggreditur dubitare longe aliud quid esse quam iudicium suspendere. Verum ego justam habeo causam querendi quod Adversarius mecum mala fide agat, & quidem destinato consilio; nam cum antea in disputatione prima, quam contra Anonymum habuit, verba ita legerentur ut à me citata sunt, ille postea, in libri sui editione, ut lectorem deciperet, & causam suspicandi eam fuisse ipsius mentem, prout ego interpretatus sum, tolleret, post hæc verba, *Rationes quare sic sentiam varia sunt, ista subiunxit, ceterum quo res tota fulgeat clarior, opera pretium fuerit pauca quedam in antecessum definire.* Similiter post hæc verba, *Atqui projecto nihil horum est dubitare, de novo addit, si spectemus verbi proprietatem.* Talia scilicet remedia malis causis applicanda sunt. Quod vero subdit, se post haec de præstigiis insolentissimarum locutionum, quod occuperat dicere, thesi decima esse executum, quam verum sit, cum ad eum locum perventum erit videbitur.*

XII. Eadem th. 4. dicebam, *Si dubitatio adeo laxos significatus sape induat, Viro Celeberrimo fatente, quorsum attinuit de hisce adeo morose disputare & altercari. Anne volui penum suam philologicam ostendere? sed non*

*tum est tam sordere cum parum tempestive producitur: Sufficit enim nobis si Cartesianis licuerit sine crimine vocem dubitationis ita sumere: Neque multum referret ipsos, sive proprie dicta, sive improprie dicta ea vocaretur dubitatio. Ad ista Adversarius, Quasi vero, inquit, nefas esset vocum significatus impropriis & propriis exquirere fideliter, ac distinguere? Vel adversariis etymologias pro se falsa pariter & ambitiose rapientibus ullum verbum opponere? Nemo negat cum voces definitiuntur aliquando utile esse indicare definitiones non adversari vocum etymologiae, ut scilicet ostendamus nullam temeritatem esse commissam in definiendo. Illud Claubergius cum ageret de dubitatione fecit. Neque morosa sua disputatione & anili altercatione, veluti ostensum est, adversarius quippiam cum ratione culpare potuit. Deinde quid si Claubergius errasset in vocis etymologia alleganda, cum dubitatio adeo laxos significatus saepe & familiariter fatis induat, ipso fatente, merito culpandus venit, quod adeo morose ea de re disputet; voces enim usu valent: neque erratum in etymologia tanti faciendum foret. Quia porro in dictis meis occurrit haec phrasis, *neque multum referret ipsos*, mirum in modum exultat, multaque scurrilia dicteria in me evomit, quasi ingens crimen foret solocissimum commisisse. Sed cur non addidit Paedagogus contra quam Syntaxeos regulam peccatum sit. Certe cum dicitur *mea*, tua refert, siores Grammatici ostendunt voces eas esse accusativi casus & subintelligi ad negotia. Quidni igitur per ellipsis dici potest, falsis syntaxeos legibus, refert ipsos, ita ut praepositio ad subintelligatur. Neque Plinius libro 14. dubitavit dicere, *Manifestum est patriam, solumque referre, non uvam.* & libro 21. *Diximus & terram referre plurimum.* ut ellipsis sit praepositionis ad. Porro si insolitus sit loquendi modus, refert ipsos, qui scit homo noster an non per incuniam typographi praepositio ad, quae desideratur, omissa sit?*

XIII. Cum adversarius me accusasset quod thesis mea niteretur *mutilatione itidem ac prava expositione definitionis*, qua descripscerat dubitationem proprie dictam, quia scil. addendum erat, idcirco herere medium, *quia utrinque vel undique judicaveris*, &c. probavi thesi 5. istud frivolum esse hisce verbis: *quia enim in dubitatione nihil determinate judicatur, eo ipso judicium suspeditur, nec refert utrum rationum pondera hue atque illuc assensum inclinet, & alternent;* istud enim efficere non potest quo minus maneat suspensio judicii, quamdiu scil. nihil determinate judicatur, isti enim judicandi actui demum opponitur suspensio judicii. Quid autem ad ista adversarius? Thesi 9. Etiamsi ostenderim, ut ex dictis manifestum est,

est, accusationem falsam esse, non definit tamen eandem repetere, sed nulla addita probatione. Deinde priora verba mea mala fide interpretatur, quasi nimur ego dixisse in dubitatione *propre sic nunquam*, secundum vocis etymologiam, non referre utrum rationum pondera hoc atque illuc assensum inclinent, & alterent. Ego enim, ut ex ipsis verbis manifestum est, dixi non referre, ut sc. dici possit judicium suspensi, utrum rationum pondera huc atque illuc assensum inclinent, & alterent, quia istud efficere non potest, quo minus maneat judicii suspensio, &c. Præterea postrema verba mea valde ridicula esse ait, & exclamat, *Quasi vero judicii suspensio non opponatur cuncte judicio! vel suspensio judicii, sive retentio assensus, & judicii sive assensus* hoc atque illuc alternatio sive inclinatio nihil habeant oppositionis! O miserabilem Logicam quæ sic instituit! Canes qui mordere non possunt maximos latratus sæpe edunt. Non esse oppositionem inter ea quæ se invicem non evertunt, sed quorum unum alteri, tanquam species suo generi, subordinatum est, vera docet Logica. Dubitatio proprie dicta est suspensio judicii, vel retentio assensus, quia utrinque vel undique judicaveris æqualia vel præterpropter occurunt rationum pondera: atque adeo dubitatio proprie dicta, species quædam est suspensionis judicii, ejusque alia species est suspensio judicii, quæ fit sine mentis inclinatione in ullam partem, & locum habere potest in eo, qui rationum pondera ab ulla parte nunquam examinavit, neque ullam habet rationem propter quam in unam potius quam in aliam partem assensum inclinet. Sic igitur ambæ hæ species in communi genere convenient, neque generi opponuntur. Sed quid hisce nugis refutandis immoror, cum ipse adversarius veritatem hanc confiteri coactus sit hisce verbis thesi sequente 10. Neque tamen, inquit, infisor, aliquam judicii suspensionem, determinati videlicet judicii, non pugnare cum aliqua judicii mutatione, sive inclinatione in alterutram vel utramque partem. Atque de hoc solum disputationem institutam esse sæpius jam dictum est. neque lubet repetere.

XIV. Dixeram thesi 6. inter cætera, manifestissimam implicari contradictionem, si dicatur, eum qui in medio heret inter duas vias, aliter esse duarum viarum, quam quia neutrā eligit. Adversarius autem thesi 10. nimis id imperite dictum; atque ita porro pergit: *Quinimo duarum esse viarum is demum recte dicitur, qui quodammodo eligit utramque, sed electione vaga & instabili, perque rices alternata: verum circa determinatam alterutrius electionem, uti adeo hæc tenus in medio hæreat.* Nam qui

plane viam neutrām ullo modo eligit, non jam duarum viarūm est, sed neutrīus via. Quis ad ista non rideat? Qui duarum viarūm est, quodammodo eligit utramque, verum citra determinatam alterius electiōnem. Egregia sane electio, quæ non est electio. Eligere est, unum alii preferre; quod non sit nisi per determinatum judicium, & quia illud non adest in dubitatione, ideo neutrām partem dubiam eligit, sed in medio hæret: Dixeram ibidem me *disputationis præcedentis thesi* 5. & alibi sepius dixisse; quatenus nihil determinate judicatur, judicium suspendi. Istud Adversarius audacissime negare audet ullibi à me factum: cum thesi allegata statim ab initio hæc mea occurrant verba, *Qui inter adversas partes ita hæret medius, de opinionibus istis nihil determinate judicat, sive definit opinari, quod revera nihil aliud est, quam judicium suspendere, sive à judicando supersedere.* Quis non videt eundem utrobique esse sensum? nisi cavillator negare velit eadem esse, quæ verbis quibusdam modo differunt. Plura similia disputationem legenti facile occurrēnt, ut non sit operæ pretium hic repeterē. Allegaveram etiam quod Menochio dubius definiatur, qui cum duas vias habet utram eligat nescit: ut ostenderem dubitantem secundum eum ideo esse duarum viarūm, quia neutrām eligit. Ad hunc locum adversarius multa operose congerit, quæ ad rem non faciunt, ac tandem dicit, *eligere Menochio non pertinere ad electionem qualemcumque, sed ad electionem plenariam, & absolutam.* Quandoquidem autem hoc aliud nihil est quam crambe multoties recocta, & ad naufragium usque sepius reposita, non lubet iis quæ hactenus dicta sunt quippiam addere. Libens etiam transmitto quæ scuriliter thesi 12. deblaterat.

XV. Pergo igitur ad ea quæ modum dubitandi concernunt. Adversarius Indignationis justæ contra Anonymum §. 10. dixerat, *Se non posse non improbare duras abusiones, que postea commentis argutissimis ad sanum sive tolerabilem sensum vix rediguntur. Jubet enim Cartesius non tantum dubitare de omnibus, de quibus dubitari potest, sive in dubium revocare omnia, quæ possunt in dubium revocari: verum etiam sic dubitare, sive in dubium revocare, ut pro falsis habeas atque rejicias.* Circa ea thesi 7. notabam 1°. Cartesium docere de omnibus dubitandum esse, & assensionem cohibendam, in quibus vel minimam incertitudinis suspicitionem reperimus, non minus quam ab aperte falsis. Atque addebam neminem negare posse illud esse rationi consentaneum, qui novit mentem veri amantem non posse acquiescere, quamdiu evidentiis & certis demonstrationibus non est convicta de veritate; quia sine iis erroris periculum se evadere non posse persuasa est. Re-

plicat

plicat thesi 13. homo ineptus : *Quam, inquit, frigide ! Nam aperte falsis utique non tantum assentiendum non est : verum etiam contraria firmissime tenenda sunt omnia.* Quam ridicule ! Quam parum istæ animadversio ad rem facit ! Sufficit enim nobis hic si evincamus, quemadmodum manifeste falsis adhærendum non est propter falsitatem, ita pariter non esse adhærendum opinionibus in quibus aliqua erroris suspicio reperitur ; quia & illæ falsæ esse possunt, & per consequens omnia quæ iis inædificantur ; quod nemo veritatis amans negare potest.

XVI. Notabam 2°. Docere Cartesium nondum sufficere ista advertisse, curandum esse ut recordemur, quia assiduo recurrente loquitur Cartesius de opinionibus & præjudiciis, quibus adhæsimus sine prævio manifeste rationis lumine, de quibus prima Meditatione jam egerat) consuetæ opinions, occupantque credulitatem nostram tanquam longo usu & familiaritatis jure fibi devinclam, fere etiam nobis invitit ; adeoque nunquam nos facile iis assentiri, & confidere desinere posse, quamdiu tales esse supponantur, quales sunt revera, nempe aliquo quidem modo dubiae, ut jam jam ostensum est, sed nihilominus valde probabiles, & quas multo magis rationi consentaneum sit credere, quam negare. Atque eapropter rationi consentaneum esse, si voluntate in contrarium versa nos ipsos fallamus, illasque aliquamdiu (nempe donec rationes dubitandi superavimus) omnino falsas imaginariasque esse fingamus, sive, ut alias loquitur, pro falsis habeamus, id est earum non majorem habeamus rationem, quam si forent falsæ, neque iis ullo modo fidamus in accurata veritatis inquisitione, quod est eas tantisper rejicere. Hæc notanda ducebam, ut ostenderem quid Cartesius hac de re doceret ; & ut simul constaret iniquissime eum accusari abusionum durarum, que postea commentis argutissimis ad sanum sive tolerabilem sensum vix rediguntur. Quid autem homo noster ? Putat hanc esse luciniosam & minime necessariam sententia Cartesii repetitionem, ejusdemque putidissima quedam interpretamenta. Respondeo necessariam fuisse sententia Cartesii repetitionem, quia de ea controversia erat mota. An autem ego ipsam minus bene proposuerim, & interpretatus sim, ipsius erit ostendere, & meum examinare. Audiamus igitur porro heroa nostrum. Magi, inquit, virtute simus, & quid ista valeant verborum præstigia, cominus experiamur. Quod ergo docet Cartesius, ita esse dubitandum de omnibus de quibus dubitari potest, ut pro falsis habeantur, atque rejiciantur, equidem sic impugnaveram. Hoccine nihil aliud est quam judicium suspendere, vel præconceptas opinions tantisper negligere, vel scita sua recognoscere, neque quicquam vel affirmare, vel negare ? Quomodo dubitationem suam Cartesius non semel

semel exponit: ejusque sequaces intelligendam esse paſim ferme dejerant.
 Quid enim? Anne judicium ſuſtendere non potius eſt neque pro veris, neque
 pro falsoſ habere? Item neque rejiſere, neque admittere? Ad hanc obje-
 ctiōnem respondi circa finem theſeos 7. Credendum eſſe Virum Cel. fo-
 rmolentum fuſſe, neque potuſſe advertere, quid Carteſius dixerit, cum hec
 ſcriberet, vel eum Carteſium nunquam legiſſe cum attentione, vel fuſſe ne-
 ceſio quibus paſſionibus abruptum. Carteſium enim iſta quidem duo, ſcilicet de
 omnibus dubitandum eſſe, ſive judicium ſuſtendendum, in quibus vel mini-
 mam incertiuitatis ſuſpicionem reperiſſimus; eaque de quibus dubitamus, pro
 falsoſ eſſe habenda, ſaþe conjuŋere, nullibi vero dicere illa eſſe unum & idem;
 ſed p̄ter dubitationem alterum illud quoque, propter rationem dictam, in
 accurata veritatis inquiftione utiliſſimum eſſe pronunciare. Huc referantur
 quae à nobis hac de re dicta ſunt §. 6. Sed porro hominem noſtrum
 audiamus vana victoria ſpe ſeſe lactentem. Carpit primo meam Lati-
 nitatē, quod dixerim eum paſſionibus fuſſe abruptum. Sed meminiffe
 debuiſſet Pædagogus quod ipſe me p̄averit diſputationis primæ,
 quae continent vindicias, &c. theſi 4. Nec eſt quod dicat ſe eo loco
 verba mea allegare: ego enim dixeram eum paſſionibus nimium indul-
 ſiſſe. Deinde poſt præmissas vanas & nugatorias exclamatiōnes ipſi val-
 de familiares, oſtendere conatur, neque mihi cum Carteſio, neque cum
 Claubergio, neque mecum ipſo convenire. Sed quam belle rem iſtam exe-
 quatur propius examinandum eſſt. Carteſius, inquit, quum videret ſe-
 ſe ultra legem & modum verba ſua tetendiffe, premereturque difficultatibus,
 hoc egit, ut nihil aliud quam ſuam dubitationem in animo habuiſſe videretur.
 Septimus itaque reſponſionibus, inquit, in hunc modum ſibi conſulit. Ubi
 dixi, dubia eſſe aliquandiu pro falsoſ habenda, ſive tanquam falſa
 rejiſienda, tam manifeſte explicui, me tantum intelligere, ad verita-
 tes Metaphysice certas inveſtiſandas non majorem habendam eſſe ra-
 tionem dubiorum, quam plane falſorum; ut nemo ſanæ mentis vi-
 deatur poſſe aliter mea verba interpretari. Sed & paulo poſt. Dixi du-
 biorum non majorem habendam eſſe rationem, quam ſi omnino falſa
 eſſent: ut ab illis cogitatio plane avocetur, non autem ut modo unum,
 modo ejus contrarium affirmetur. Porro Septimus opponens haec dixerat:
 Si lex illa, in veſtigando vero id quod vel minimum dubitationis ha-
 bet pro falſo habendum eſſt, ita intelligatur; cum veſtigamus quid ſit
 certum, non debemus ullo modo nitiri quae non ſunt certa, aut que
 habent dubitationis aliquid, legitima eſt, uſu recepta, & communis-
 ſima apud omnes Philosophos. Et rurſum: Si dicta lex ita intelliga-
 tur,

tur. Cum vestigamus, quid sit certum, ita debemus rejicere omnia quæ certa non sunt, aut aliquo modo dubia, ut illis nullo pacto nuntiamur, adeoque ea spectemus perinde quasi non essent, aut potius ea non spectemus omnino, sed ab iis penitus abducamus animum: legitima quoque est, tuta, tritaque etiam à tironibus. *Ad qua verba*, inquit porro Adversarius, *Cartesius ita rescripsit*. Hic in duabus primis responsionibus omne id approbat, quod de re proposita censui, quodve ex meis scriptis elici potest. Post hosce textus allegatos hanc inde nugator noster format conclusionem. *Manifestum igitur est, videlicet voluisse Cartesium nihil aliud intelligere, quam abdicationem seriam dubiorum omnium: que nimur illi dubitatio*. Respondeo Cartesii scopum fuisse, ut doceret quomodo mens nostra à præjudicis, quæ eam in veritatis inquisitione probabilitate sua devinctam quasi tenent, & impediunt, quo minus justum examen instituere possit, liberari possit; & quia isti scopo satisficeri non posse deprehendit, si solummodo dubitetur, sive si solummodo opiniones præjudicatae considerentur tales quales sunt, probabiles sc. quæque mentem distrahit, voluit insuper ut earum non majorem habeamus rationem quam si falsæ forent, quo mens plane ab iis avertatur & avocetur. Illud ego dixi Cartesii mentem esse. Illud idem est quod hisce textibus continetur satis expresse. Mihi igitur cum Cartesio convenit. Quantum autem ad conclusionem ab adversario ex Cartesii textibus allegatis deductam, respondeo non tantum Cartesium videri voluisse nihil aliud intelligere, quam abdicationem seriam dubiorum omnium, sed revera nihil aliud intellectuisse. Quod vero additur hanc illi esse dubitationem, ridiculum est. Quid enim? An non qui dubia abdicat sive rejicit, eorum non majorem rationem habendo, quam si forent falsa, amplius quid facit quam dubitare? An non qui dubitat solummodo considerat dubia, ut dubia, sive secundum eam rationem, qua se offerunt menti? Quod non est dubia plane abdicare. Ex dictis manifestum quoque est quam temerario & sine ratione blatero hic effutierit, *Cartesium*, quum videret se ultra legem & modum verba sua tetendisse, premereturque difficultatibus, hoc egisse, uti nihil aliud quam suam dubitationem in animo habuisse videretur. Cum nequidem ostendi possit ab ipso ullus locus, qui cum aliis ad amissim non consentiat.

XVII. Sequitur ut videamus an felicius disputator noster proberet, mihi cum Claubergio non convenire. Locus autem quem citat habetur cap. 3. §. 17. & 18. de dubitatione Cartesiana, atque ejus hæc

sunt verba: *Possunt hæc verba*, videlicet pro falso habere, separatim sse-
 etata duobus modis intelligi. Primo, *judicare aliquid falso esse*: quod sit,
 siquidem recte sit, *affirmando quid aut negando de subiecto clare distincteque
 perspecto*: estque actio hac propria facultatis *judicandi*. Secundo sine *affirma-
 tione aut negatione* ulla aliquid considerare tanquam falso: ne scilicet ipso
 utamur & nitamur in veri *indagatione*, quamdiu quale sit ignoramus: &
 hac est actione non *judicii*, sed *facultatis apprehensio*. Quando ergo initio Phi-
 losophie Cartesius adhibet hanc phrasin, habere pro falso, posteriore tantum
 significatione adhibet, non priore. Nempe illud habere pro falso non est *judi-
 care*, seu *affirmare & rejicere revera*; sed *apprehendere sine assensu aut dis-
 sensu*, potest enim enunciatio simpliciter apprehendi, non interjecto judicio.
 Noster homo existimat hoc nihil aliud esse quam *Cartesii dubitare*. Si
 dixisset puerile esse suum deliramentum, verius dixisset. Quis enim
 mentis suæ compos non intelligat aliud esse solummodo dubitare, quo-
 fit ut mens nunc in unam, nunc in aliam partem inclinet, quoque
 vix evitare potest, ut non uni vel alii parti, propter rationes probabi-
 les, quæ occurunt, adhæreat, & assensum præbeat? Aliud esse, ut
 incommodum istud & impedimentum in veritatis investigatione vi-
 temus, firmum habere animi propositum non amplius considerandi
 dubia, ut dubia; sed illa habendi tanquam falsa, iisque non magis
 utendi, & nitendi in veri *indagatione* quam si forent falsa? Ut de-
 nique probet nugivendulus me mihi met ipsi contradicere, *Diserte ait
 me hoc dicere, rejicere tantisper dubia tanquam falsa, nihil aliud esse, quam
 ius ullo modo non fidere in accurata veritatis inquisitione.* Atqui id, inquit
 porro, est *assensum non præbere*. Verba mea thesi 7. ad quam respicit,
 ita se se habent: *Opiniones dubias pro falsis habere, est earam non maiorem
 rationem habere, quam si forent falsa, neque ius ullo modo fidere in accurata
 veritatis inquisitione, quod est eas tantisper rejicere.* Neque alibi unquam
 quidquam dixi quod cum hisce ad amissim non conveniret, neque
 contrarium probatur cum dicitur id esse *assensum non præbere*. Cum
 enim simplici mentis intuitu propositionem aliquam dubiam sine as-
 sensu & dissensu ut falsam consideramus, & ea nullo modo fidimus,
 assensum quidem non præbemus: inde autem non sequitur quod
 solummodo dubitemus, sicut probandum erat; quia, ut si prius di-
 catum est, qui solummodo dubitat, considerat dubia ut dubia, sic
 que vix à se se impetrare potest ut iis non fidat. Propter rem adeo be-
 ne gestam triumphus huic homini decernendus est proculdubio.

XVIII. Sed & porro quæ sequuntur examinare pergamus. *Sunt,*
inquit,

inquit, he, fateor, *incrūstatiōnes* potius quam *expositiones* *insulfissime* *com-*
primis & *nugaciſime*. Quid enim? Anne igitur effatum aliquod pro falso ha-
bere, vel quasi falso rejicere, nihil aliud est quam illi non fidere? Nam
ut incertiſ effatiſ *haud fidamus*, *equum eſt*: ut protenus ea pro falsis habeamus,
& quasi falso rejiciamus, *iniquiſiſum* *pariter* & *ſtultiſiſum*. Nunquamne
erit inceptiendi finis? Non temere effutiendum erat quidlibet pro au-
toritate. Probandum erat verba illa eum sensum non admittere.
Et quid ni admittant non video. An non enim effatum aliquod pro
falso habere, sive tanquam falso rejicere, significare potest illud
non amplius considerare ut dubium quale eſt, sed illud considerare
tanquam si eſſet falso, sive ejus non majorem habere rationem
quam si falso foret? Cum autem id fit, manifestissimum eſt nos eo
nullo modo fidere amplius. Probandum quoque erat dubia pro falsis
ſensu dicto habere, sive tanquam falso rejicere, iniquiſiſum pariter
eſſe & ſtultiſiſum.

XIX. Adversus id etiam, quod Claubergius dixerat pro falso
habere hoc loco nihil aliud significare, *quam sine affirmatione aut nega-*
tione illa aliquid considerare tanquam falso, sive apprehendere sine affenſu
vel diffenſu; & *hanc eſſe actionem non judicii, sed facultatis apprehenſiſa,*
& que inſulſe deblaterat. *Quis hic eſt*, inquit, *inceptiendi pruritus?* Anne
citra ſuſpicionem dementia ſingi potest ullum effatum ſeu verum ſeu falso ſine
affirmatione vel negatione? *vel haberri pro falso,* & *rejici tanquam falso,*
sine affenſu vel diffenſu? Per ſolam videlicet atque nudam apprehenſionem,
qua nihil conjuŋgit vel diſjuŋgit? Videtur vanus Sophista Claubergium
ita interpretari, *quasi voluſiſet dicere, poſſe eſſe effatum aliquod ſeu*
propositionem veram vel falſam ſine affirmatione vel negatione, quod
abſurdum, & ab ejus mente plane alienum eſt. Quis enim adeo rudis
ſingi poſſet, qui ignoraret omnem propositionem in ſeſe conſidera-
tam eſſe vel veram vel falſam? Verum hoc non obſtantē veriſiſum
eſt non tantum poſſe propositionem aliquam ſimpliciter apprehendi
ab intellectu, ſine affirmatione vel negatione, affenſu vel diffenſu, id
eſt non interpoſito judicio; ſed etiam talem apprehenſionem eſſe ne-
ceſſariam, in omnibus propositionibus ut judicium ferri poſſit. Non
enim poſteſt judicari aliquid eſſe verum vel falſum, niſi illud tale eſſe
intelligatur. Neque aliud quid eſt judicium quam actio mentis affenſu,
vel diffenſum præbentis veritati, vel falſitati, quæ intellectu
apprehenditur, id eſt, cognoscitur, sive intelligitur. Sed forte aliter
ſe res habet cum adversario hoc, qui bruto quodam impetu quidlibet

effutire consuevit ; etiam si num verum num falsum sit non cognoscat & intelligat. Porro si contingat ut veritas vel falsitas non satis intellectu sit manifesta , quod fit cum clare & distincte non intelligimus utrum in idea subjecti contineatur vel non contineatur idea attributi ; vel simpliciter judicium suspendimus ; . cum scilicet nec ab una ; nec ab altera parte rationes ullæ probabiles occurruunt, propter quas unum potius, quam aliud statuendum esse suademur. Vel nihilominus in unam vel in alteram partem determinamus propter probabilem aliquam rationem , quæ se ab illa parte intellectu offert ; & tum dicimus opinari. Vel proprie dictam , secundum vocis scilicet etymologiam , dubitamus dubitationem ; cum scilicet , ut erroris periculum evitemus , assensum præbere nolumus. Verum quia , uti saepius jam dictum est , si solummodo dubitemus , mens facile inclinatur in unam vel in aliam iterum partem , & sic impeditur in veritate accurate , uti decet , investiganda , suader Cartesius ut ulterius progrediamur , & firmum sumamus animi propositum non amplius attendendi ad quascunque rationes probabiles , quæ se ab una vel ab altera parte forte offerunt ; sed ab iis se longissime avertendi , & dubia considerandi eodem modo ac si forent falsa , atque ita ea rejiciendi , id est non majorem eorum habendi rationem quam si forent falsa. Quod fit , uti manifestum est , sine interposito judicio , quo credimus illa revera esse falsa.

X X. Ejusdem furfuri est cum dicit Cartesium , quum se videret in angustias compulsum effugio nimis quam ridiculo sibi consuluisse. Ait enim , inquit , pro falsis habere , vel tanquam falsa rejicere , sibi nihil aliud esse , quam ad veritates metaphysice certas investigandas , non maiorem esse rationem habendam dubiorum , quam plane falsorum. Atque addit porro , non majorem habere rationem dubiorum atque falsorum , nihil aliud est , meo quidem iudicio , quam similem , & aequalem & eandem habere rationem falsorum atque dubiorum , adeoque dubia nullo discrimine cum falsis habere. Quod plane stolidum longeque injustissimum est. Magnus hic insipientiæ doctor putat sibi fidem esse adhibendam , cum pro auctoritate adeo audacter effudit aliquid esse plane stolidum , longeque iniquissimum : philosphus autem sine probatione nihil credit. Atque plane ridiculum est quod ait , Cartesium in angustias compulsum isto effugio sibi consuluisse : omnia enim quæ hac de re unquam scripsit optime inter se contentiunt , uti ex hac tenus disputatis est manifestum.

X X I. Experiamur quoque an felicius tela sua in me vibraverit,

quum

quum subjungit, me in difficultatem haud paulo majorem me induisse, quam pronuncio, non esse unum & idem, dubitare, sive judicium suspendere & pro falso habere, seu tanquam falsa rejicere. Nam si pro falsis habere, seu tanquam falsa rejicere, quod Claubergius arbitratur, alterutrum significet; mirum vel considerare tanquam falsa, sine affirmatione vel negatione ulla, nec non sine assensu vel disSENSu; vel judicare falsa esse; quandoquidem ista mihi non significant nec affirmare nec negare: item nec assensum nec disSENSum: quæ descriptio Cartesiana, quam vocant, dubitationis est; manifestum fieri autem, pro falsis habere, item, ut falsa rejicere, nihil aliud mihi notare, quam judicare esse falsa. Preiverat, addit porro, Cartesius, uti fere solet libenterissime sibimet ipse tanquam in faciem obloqui, & ad illud probandum verba quædam Cartesii citat è prima Meditatione circa finem, ubi Cartesius dicit, se nunquam opinionibus dubiis assentiri, & confidere desuetum; quandiu tales esse supponet, quales sunt revera, nempe aliquo quidem modo dubias, ut jamjam ostensum est, sed nihilominus valde probabiles, & quas multo magis rationi consentaneum sit credere quam negare. Atque eapropter opinatur se non male acturum, si voluntate plane in contrarium versa se ipsum fallat, illasque aliquandiu omnino falsas, imaginariasque esse fingat. Sarcasticas quas subjungit homo facetus interrogations & dilectoria, quibus ista irridet tanquam deliriorum præstigias, &c. libens prætero. Verum respondeo 1°. Me summa cum ratione pronunciasse, dubia habere pro falsis, sive, tanquam si falsa forent, rejicere, esse amplius quid, quam vel simpliciter assensum cohibere, vel proprie dictam dubitare dubitationem; Neque etiam quidquam vel Cartesium, vel Claubergium abeo diversum unquam docuisse; vel ut luce meridiana clarius superius ostensum est. 2°. Notanda est bella nugatoris argutatio quam contra me instituit, quæque ad formam redacta ita se habet. Si pro falsis habere, seu tanquam falsa rejicere (quod, inquit, Claubergio alterutrum significat; vel sine affirmatione & negatione considerare tanquam falsa; vel judicare falsa esse) mihi non significant nec affirmare nec negare, (quam ait Cartesianæ dubitationis descriptionem esse. Suspensio judicii genus est, uti superius visum est.) Ergo manifestum est ista mihi nihil aliud notare, quam judicare esse falsa. Sed pro falsis habere, seu tanquam falsa rejicere, mihi non significant nec affirmare nec negare. Ergo &c. Ego nego minotem: neque unquam ostendi poterit me tale quippiam unquam dixisse. Illud dixi amplius quid esse pro falsis habere, sive tanquam falsa rejicere, quam dubitare, quæ est species quædam cohibitionis assensus. Nullo

modo autem inde deduci potest non alias quoque ejus esse species; magis quam ex eo, quod homo sit animal, deduci potest non alias esse animalis species. Adeoque dico eum qui aliquid pro falso habet, sensu superiorius explicato, assensum quoque cohibere, nec quidquam affirmare, nec negare. Sed condonandum id est adversario: audio enim illum Poëtam esse; atque idcirco facile credere potuisse sibi quidlibet fingendi licentiam non esse denegandam. 3°. Quod dicit Cartesium mihi præivisse, fateor: neque criminis mihi esse duco tantum virum sequi, cum monstravit viam. Quod vero addit eum hic libentissime, uti fere solet, sibimet ipsi in faciem obloqui, id, cum hactenus ab ipso ostendi non potuerit, calumniam interpretor. Neque minus calumniatur cum hoc loco istud dicit. Quid enim? An *figere* aliquid esse falsum, & *imaginarium*, est *judicare* aliquid esse falsum & *imaginarium*? Ego semper arbitratus sum inter *figere* & *judicare* immagine esse discrimen. Sed mirandum non est ista huic homini esse unum idemque, quippe cuius omnia fere judicia noui nisi pura sunt figura. Neque aliquid præsidii ipsi relictum est in eo, quod Cartesius dicit se *voluntate in contrarium versa* velle se ipsum fallere, &c. Voluntas enim in contrarium vertitur, cum mentis propositum, quod ea antea habuit, mutatur in aliud: veluti hic, cum propositum, quod habuit solummodo dubitandi, & per dubitationem judicium suspendendi, mutat, aliudque sumit propositum utendi alia specie suspensionis judicii, sc. sine affirmatione vel negatione, eo quo dictum est modo, dubia habendi pro falsis, vel fingendi ea esse falsa: Species enim sub eodem genere positæ contrariæ dici solent. Quæ porro Adversarius iterum subjungit *de dubitatione super Divini Numinis existentia veluti necessaria, pia, & honesta*, postea examini subjicientur. Neque opera pretium esse puto quippiam reponere iis, quæ thesi ultima habet, quasi fuisset indulgentissimus, lenissimus & mitissimus in censura stringenda contra Cartesium. De eo enim lectores judicare possunt, & res ipsa clamat quam parum id sit verum. Flocci etiam facio insulsas & scurriles ipsius facetias & dictoria. Per me enim licet quod in illis artibus exercitatissimum, & magnum doctorem se esse significare voluerit. Denique ad disputationem hanc Adversarii statim non respondi, veluti exprobrat; quia rumor spargebatur non vanus, integrum tractatum ab ipso brevi contra me prælo subjectum iri. Ac propterea responsum distuli, ut eadem opera omnia simul, quemadmodum impræsentiarum facere est animus, examinarem.

XXII. Refutata igitur secunda Adversarii disputatione Theologica adversus me instituta, tempus est ut pergam in iis examinandis, quæ porro occurrunt in tractatu ipsius cui titulus, Indignatio justa, &c. contra Anonymum. Et quidem in dissertatione de Methodo Cartesii suam quam commendat dubitationem distinxerat à dubitatione Scepticorum ratione diversitatis finium, hisce verbis: *Cum præcipue circa res singulas observarem quidnam posset in dubium revocari, & quidnam nobis occasionem male judicandi præberet, omnes paulatim opiniones erroneous, quibus mens mea obseffa erat, avellebam. Nec tamen in eo Scepticos imitabar, qui dubitant tantum ut dubitent, & præter incertitudinem ipsam nihil querunt: nam contra totus in eo eram ut aliquid certi reperirem: & quemadmodum fieri solet cum in arenoso solo adiscatur, tam alte fodere cupiebam, ut tandem ad saxum vel argillam pervenirem.* Postquam ista adversarius nost^r §. 12. allegasset, locum adscribit Ciceronis ex libro 4. Quæst. Acad. ubi is, inquit, sententiam Scepticorum aliquanto mollius interpretatur. Sed quorsum id tendat non video: ipse enim statim subjungit, *istam sententia Scepticorum, qui vere tales, incrustationem potius esse quam expositionem.* Rationem hanc addit: *Quum evim, inquit, pertenderent notas, quibus verum à falso discernitur, ab homine percipi non posse, quomodo videri possunt hoc egisse, (quemadmodum videlicet Cicero eorum sententiam interpretatus est,) uti verum de rebus elicerent, exprimerentque?* Pyrrho comprimis & Arcesillas, qui ne quidem rebus ipsi illam inesse certitudinem disputavere. Caterum quid ad verum proxime accedat, unde poterant ferre judicium, si notionem veri & falsi, propterea quod hac tam sinitima sint, ut nequeant internosci, nullam habebant? Etenim probabilia quæ vulgo Sceptici crepare solent, ex ipsorum placitu non possunt intelligi, quæ proxime ad verum accedunt: sed quæ proxime ad verum accedere videntur. Et Pyrrho certe ne quidem admisit *mīmāz*, id est, probabilia, teste Aeneside-mo apud Photium. Post talem interpretationis Ciceronianæ refutationem addit, se tamen nolle in accurata disputatione, ubi status opinionum serio vestigatur, hoc dicere, illos dubitasse tantum, uti dubitarent, & præter incertitudinem ipsam nibil quæsivisse. Ratio ipsius est; *Quia licet tota eorum sapientia dubitatione quodammodo constituerit, (quid ni plane & in totum, ut patet ex iis, quæ immediate ante contra Ciceronem disputavit) non tamen alium sive fructum, sive scopum haud spectabant. Hoc, inquit, sectabantur, ut afferendi temeritatem de penetralibus animorum suorum ejicerent. Quod & asscuti sunt aliquousque: sed modum non tenuerunt. Quin ulterius etiam spectabant. Ut nempe αταρεξίαν, id est, impertur-*

perturbationem, sive animi tranquillitatem, quæ non raro vanissimis appa-
 rentiis intercipitur, sibi compararent: atque in iis quæ necessitate quadam in-
 quietant, qualia sunt algere, ura, siti, fames, aliaque similia p[er]sonæ
 Dei[us], id est, moderationem affectuum consequerentur. Quemadmodum vi-
 dere licet apud Sextum Empiricum Hypotyposum Pyrrhoniarum lib. I. c. 12.
 Respondeo 1°. Frivolum esse velle Scepticos excusare, quasi in du-
 bitatione eum spectaverint sive fructum sive scopum, illudque sectati
 sint, & assecuti aliquousque, ut nimirum afferendi temeritatem ex
 animis ejicerent; nisi afferendi temeritatem velimus extendere ad quas-
 vis assertiones & cum iis insanire. Quid enim? an qui omnes veri &
 falsi, imo & probabilitatis notas è medio sustulerunt dicendi sunt
 illud spectasse & aliquousque assecutos esse, ut afferendi temerita-
 tem, quæ tantum committitur, cum judicium fertur sine prævio
 rationis lumine, quod illi plane negabant, sive extinguebant, eji-
 cerent ex animis hominum? Valde pulchre hic homo Scepticorum
 causam defendit. Ex eodem fundamento dici posset, exempli gratia,
 si quis negaret ullo modo sciri posse, utrum anima rationalis foret im-
 mortalis an mortalis, eum hoc spectasse & assecutum esse aliquous-
 que, ut afferendi temeritatem de natura animæ, ex animis ejiceret.
 Ita solent miseri mortales ad absurdissima quæque avehi, nimia dispu-
 tandi & contradicendi prurigine ducti. Respondeo 2°. non minus
 ineptum esse, quod ex Sexto Empirico producit, ut probet aliud quid
 præter dubitationem, animi nimirum tranquillitatem, spectasse Scep-
 ticos. Clare enim ostendit se Sextum Empiricum aliosque, qui de
 Scepticorum dogmatibus scripserunt, vel parum legisse, vel valde
 negligenter. Verba enim Sexti Empirici lib. I. cap. 33. hæc sunt:
*Neque enim de existentia aut non existentia rei cuiusquam pronunciare compe-
 ritur, videlicet Arcesilas præses & auctor mediae Academiæ, neque al-
 terum alteri ad fidem obtinendam aut non obtinendam præferre: sed de omni-
 bus assensum retinet, & (NB.) finem esse dicit epochen, cum qua simul ingre-
 di imperturbatum mentis statum dicebamus, capite nimirum 12. ubi agit de
 fine Scepticæ: dixerat enim ibi, assensus retentionem, quasi fortuito,
 imperturbatum mentis statum consecutum fuisse tanquam umbram corpus.*
 Hisce gemina legere licet apud Laërtium in vita Pyrrhonis circa fi-
 nem. Postremo autem, inquit, Sceptici finem aiunt (NB.) nihil definire;
 neque pronunciare, quam rem sequatur umbra in modum animi tranquillitas
 & constantia, ut ait & Timon, & Ænesidemus. Ex quibus manifestissi-
 mum est Scepticos pro fine habuisse dubitationem sive epochen, quia
 eam

eam experiebantur sequi animi tranquillitatem, non aliter ac umbras sequitur corpus. Non igitur præter dubitationem quicquam spe-
ctasse eos dicendum est, sed in ea acquievisse, quia dubitando in eo se putabant constitui statu quem unice desiderabant. Neque id quod ita cum fine aliquo connexum est pro alio fine à priori distincto su-
mendum est. Atque adeo optime Cartesius sententiam Scepticorum assecutus & interpretatus est, dicendo eos dubitasse tantum ut dubita-
rent, & præter incertitudinem ipsam nihil quæsivisse, quia solus il-
le status summe ipsos ex sua opinione reddebat beatos, dabant enim
animi tranquillitatem, quam unice desiderabant.

XXIII. Paragrapho 13. *Putandum tamen esse negat Scepticos eaque post investigationem, ac prius addubitavisse: quod Cartesii verba pra se ferunt.* Atque ad id probandum adducit Ciceronem, cuius testimoniū antea repudiavit, quia mollius quam par est ille sententiam eorum interpretatus est. Neque majoris ponderis est testimonium Socratis apud Platonem sententiam suam exponentis; quia tam Socratem, quam Platonem à doctrina Pyrrhoniorum alienum fuisse Sextus Empiricus testatur. Postea idem quod antea dixerat repetit, ju-
dicatque *tale quid non esse putandum de viris acribus, ingenio, memoria, nec non labore supra omnes pene Philosophos.* Sed frustra; quia ista so-
lummodo ejus sunt suspicione, & contrarium jam satis probatum est;
& si opera foret pretium pluribus testimoniis ex Sexto Empirico pro-
bari posset. Unicum modo locum addemus ex Laërtio in vita Pyr-
rhonis. Is igitur postquam quosdam ejus discipulos nominasset, *Hi omnes, inquit, à Magistro quidem Pyrrhonii, ceterum à dogmate Aporeti & Sceptici, preterea & Ephætici, & Zeteticī appellabantur.* Est enim Zetesis sic dicta, quod semper in veritatis inquisitione veretur. Porro Scepti-
ca, quod (NB.) semper querat & nunquam inveniat. Ephætica autem dici-
tur ab eventu, quod (NB.) post inquisitionem ambigatur itidem. Aporetica ve-
ro, (NB.) quod ejus sectatores semper addubitent. Quis non videt ex hac-
tenus dictis manifestum esse Scepticos non minus post investigationem
ac prius addubitavisse.

XXIV. Porro Adversarius in sequentibus Cartesium quidem à Scepticismo absolvit, utpote qui nec verum, inquit, *de rebus sustinuit, nec investigationibus abrogavit percipiendi certitudinem.* Sed addit, *se mirari, Virum ingeniosum adeo leviter & parum eruditum suam dubitationem à dubi-
tatione Scepticorum distinxisse.* Ut per difficile creditu sit, quod alicubi gloria-
tur sese complures libros à Scepticis & Academicis ea de re, puta de dubita-

tione, conscriptos jam dudum vidisse, atque istam cramben recoxisse non sine fa-
stadio. Ac porro etiam protestatur se tam illum pro Sceptico non habere, uti
potius opinatorem esse censeat opiniosissimum. Cartesius sc̄. docens suam du-
 bitationem utilem esse ad veritatem melius & accuratius investigan-
 dam, seque eum finem habuisse sibi propositum, levem & parum eru-
 ditam facit distinctionem inter suam & Scepticorum dubitationem,
 qui eam tanquam finem sibi proponunt, & quorum tota doctrina ad
 dubitandum est instituta, sicuti ostensum est. Fines nimirum toto
 genere diversi & oppositi non multum inter se distant, si huic ho-
 mini credendum sit. Uter autem Scepticorum libros accuratius lege-
 rit, Adversarius, an Cartesius, ex iis quæ dicta sunt alii judicium fe-
 rant. Denique nisi probetur ubi Cartesius præter, vel contra ratio-
 nem, nimium opinionibus suis steterit, pro calumnia habetur nobis
 quod hic de ipso effutus homo noster.

X X V. Paragrapho 14. Adversarius ferre non potest, quod, cum Cartesius in epistola, quam conscripsit ad interpretem principiorum Philosophiae Gallicum, suam dubitationem *ad solam contemplationem* *veritatis restringendam esse vult, minime vero ad vita praxin esse extenden-*
dam, quibusdam Scepticorum sectam secutis attribuit, quod dubitationem
etiam ad actiones vita extenderent, ita ut prudentia ad regimen vita nece-
saria uti negligenter. Item quod in responsione ad objectiones quintas
plane ridendos fuisse dicat illos Scepticos. (supponens scilicet tales aliquan-
 do fuisse) *qui res humanas eo usque negligebant, ut, ne se in precipitia*
conjicerent, ab amicis debuerint asservari. Adjungit etiam quædam de
 dubitatione praxin vita concernente; De qua, cum ad paragraphum 30. ex
 professo agendum sit, nihil nunc dicemus. *Ac putat hoc tam esse effu-*
titum temere, ut nihil supra. Nam, inquit, *quis unquam Scepticorum*
istiūmodi furore corruptus fuit? Atque usque ad paragraphum 18. val-
 de operose conatur falsitatem ejus ostendere, id est, magno molimi-
 ne magnas rugas agit. Respondeo enim Cartesii scopum nequaquam
 fuisse accurate disputare, an unquam fuerint Sceptici, qui revera eo
 usque dubitationem extenderent; an vero, vel per calumniam, vel
 per consequentiam ex ipsorum doctrina deductam, ab aliis id ipsis
 fuerit impactum: sed tantum à se se amoliri talem dubitationem, quæ
 quibusdam Scepticorum aliquando attributa fuit, atque etiam nunc à
 multis attribuitur. Atque hoc Adversarius ipse concedere cogitur,
 & Diogenis Laërtii testimonium allegat in vita Pyrrhonis. *Consenta-*
nea ad hac, inquit ille, Pyrrboni & vita erat: nihil declinans, nihil devi-
tans

tans sustinebat omnia: currus si forte occurrisserent, & prærupta, & canes, & talia, nihil omnino sensibus permittens. Servabatur autem (ut Cartesius Antigonus refert) à sequentibus se necessariis. Præter Laërtium adducit & Aristoclem vetustissimum Scriptorem, aliosque. Hæc ad Cartesium excusandum abunde sufficiunt.

XXVI. Porro Adversarius paragrapho 18. ait Cartesium egregie suam depingere dubitationem circa finem Meditationis I. Verba autem Cartesii quæ allegat hæc sunt. Tandem cogor fateri nihil esse ex iis, que olim vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconsiderantiam vel levitatem; sed propter validas & meditatas rationes: ideoque etiam ab iisdem, non minus quam ab aperte falsis, accurate deinceps assensionem esse exhibendam, si quid certi velim invenire: sed nondum sufficit hæc adverteisse: curandum est, ut recorder: aſſidue enim recurrunt consueta opinioneſ, occupantque credulitatem meam, tanquam longo uſu & familiaritatis jure ſibi devinctam, fere etiam me invito: nec unquam iis aſſentiri & confidere defueſcam, quamdiu tales eſſe ſupponam, quales ſunt revera, nempe aliquo quidem modo dubias; ut iam jam oſtentum eſt, ſed nihilominus valde probabiles, & quas multo magis rationi consentaneum ſit credere quam negare. Quapropter, ut opinor, non male agam, ſi voluntate in contrarium verſame iſum fallam, illasque aliquamdiu omnino falsas, imaginariaſque eſſe ſingam, donec tandem, velut aequatis utrinque præjudiciorum ponderibus, nulla amplius prava conſuetudo judicium meum a reūa rerum perceptione de torqueat. Haec tenus Cartesius. Adversarius autem, præmissis more ipſi ſolito ridiculis exclamacionibus, Unum imprimis eſſe ait, quod ſcire laborat; qualia nempe intelligi debeant iſta præjudicia quorum utrinque pondera neceſſe ſit aequari: nequid animum veri certique cupidum ultra præpediat. Nisi mens ejus contradicendi & cavillandi ſtudio occœcta fuifet, facile id ſcire potuifſet. Textus eſt evidens: ſunt enim ab una parte conſuetæ opinioneſ, quæ aſſidue recurrunt, occupantque credulitatem noſtram tanquam longo uſu & familiaritatis jure ſibi devinctam, fere etiam nobis invitis: & quibus nunquam aſſentiri & confidere defueſcemus, quamdiu tales eſſe ſupponemus, quales ſunt revera, nempe aliquo quidem modo dubias; ſed nihilominus valde probabiles, & quas multo magis rationi consentaneum eſt credere quam negare. Hæc nempe præjudicia ſunt revera præjudicia; ſunt enim iudicia quibus aliiquid determinatur; ſed quæ ſunt formata ci- tra præviuſ rationis lumen, quibusque tanquam auctoritatibus fi- dere conſuevimus. Quia vero ea mentem avertunt ab ulteriori veri-

tatis inquisitione, & præterea quasi fontes sunt, unde omnis generis errorum scaturigines uberrime promanant (quidquid enim iis inædificatur, vel est erroneum, vel saltem tale, ut cum ratione non possumus esse certi, esse verum, quod respectu nostrî tantundem fere est) sana ratio docet illa esse deponenda. Verum quia solummodo opiniones eas in dubium revocando, easve considerando tales quales sunt, non satis, veluti dictum est, mens ab iis averti potest, ut illis fidem adhibere desuescat, eadem ratio dictat amplius quid faciendum esse, voluntatem nimirum in contrarium esse vertendam, sensu superiorius explicato, sumendumque esse animi propositum, quo fingimus illa esse falsa, id est eorum statuimus non majorem habere rationem quam si falsa forent. Atque hoc est alterum præjudicium, per quod revera non judicamus illa esse falsa, sed ad tempus tanquam talia sine assensu aut dissensu consideramus, donec tandem, velut æquatis utrinque præjudiciorum illorum alterius nempe veri, alterius fictitiæ ponderibus, nulla amplius prava consuetudo judicium nostrum à recta rerum perceptione detorqueat. Sensum verborum Cartesii non alium esse vel puer judicare facile posset.

X X V I I. Neque aliter hæc exposuit Claubergius in notis ad primam Meditationem articulo 43. licet homo noster id etiam videre non potuerit. Ut autem id pateat operæ pretium est verba ejus adscribere. *Præjudicia*, inquit ille, *de quorum ponderibus æquandis hic sermo est*, diversi sunt generis: unum est revera tale, alterum fictitium (*nota verbum singam*); prius antiquum est & propter longam consuetudinem transivit in habitum, posterius ex hypothesi solum assumitur ad tempus (*nota verbum aliquandiu*), nec gignit propterea habitum, sed ad vitiosum præcedentis præjudicii habitum tollendum introducitur, quod his indicatur verbis: *donec nulla amplius prava consuetudo judicium meum à recta rerum perceptione detorqueat*. Etiam si hæc & Cartesii doctrinæ, & rationi sanæ sint consona, Adversario tamen placere non potuerunt, neque dubitat, si vera sit hæc interpretatio, quin Cartesius & febriculosus & somnians ita scriperit. Se ipsum procul dubio designare voluit, cum ineptam adeo, qualem subjicit, cavillationem adhibuit ad id probandum. *Quid enim?* inquit, *Anne præjudicium fictitium, & quod ad tempus ex hypothesi solum assumitur, oppositum præjudicio quod revera tale, quod prius & antiquum est, quodque propter longam consuetudinem transivit in habitum, æquare libram poterit? vel ad habitum vitiosum inoliti pridem præjudicij tollendum sufficere?* Sedet animo meo firmum ex. gr. fixumque præjudicium, à teneri valde unguiculis,

vide-

videlicet solem esse lucidum, & ingentem habere vim calefaciendi tellurem, vegetandique. Sed non lubet sapere de præjudiciis. Adeoque juxta methodum Cartesii, quantum potero, fungam, longe falsissimam esse hanc meam opinionem. Imo vero solem esse corpus obscurum & tenebris ossum, neque quidquam prodeſſe fatis & arboribus, quin & in anima frigiditate possum obſeffe. Hec fictio poteritne refundere inveteratum præjudicium? facereque uti meus animus inter ista duo bareat tanquam in aequilibrio? Vocula m aliquamdiu non valde moror. Illud paulo propius exponi velim, quinam ea fictio habitum saltem aliquo usque non gignat, & ad habitum tamen expellendum introducatur. Neque video quinam haec non discrepent à Cartesii disciplina, qui plane consuetudini scilicet assentiendi vult opponi consuetudinem dubitandi, quippe qua nihil conducat magis ad firmam rerum cognitionem aſsequendam. Sic enim diserte pronunciat Responsione ad secundas objectiones. Respondeo 1^o. Cum præjudicium istud fictitium, quod ad tempus solummodo assumitur, sit animi propositum opinioneſ aliquo modo dubias habendi pro falsis, earumque non maiorem habendi rationem quam si falsæ forent, in veritatis investigatione, usque dum legitime ſunt examinatae, ad vitiosum præcedentis præjudicij habitum tollendum ſufficit. Quid ni enim in illo proposito manere poſſumus, præſertim cum præcedunt dubitandi rationes contra inveteratas opinioneſ, quæ animum veri cupidum ad tale propositum ſumendum, & in illo perſeverandum, usque dum legitimum examen eſt institutum, invitant. Exemplum quod de ſole adducitur, modo ad mentem Cartesii & Claubergii explicetur Adversarium nihil juvare poſteſt. Ita igitur illud propono. Quia ab incunte etate quidquid à ſenſibus vel per ſenſus accepimus pro maxime certo habuimus, veluti exempli gratia eſſe ſolem aliquem, qui fit lucidus, quiqe ingentem habet vim calefaciendi tellurem, vegetandique; Sceptici vero ſenſuum certitudinem, & generaliter rerum materialium existentiam in dubium vocarunt, & huum dogma rationibus adſtruere ſunt conati; rationi conſentaneum eſt ut veterem noſtram de ſenſuum certitudine opinionem ad examen revocemus, ſi nihil, niſi quod certiſſime verum eſt, ut Philosophum decet, velimus admittere. Verum ut liberius & felicius examen illud instituatur, & non turbemur ex eo quod non poſſimus desuſcere fidem adhibere iis opinionibus, quæ haetenus pro maxime certis admisimus, quæque ad minimum ſunt valde probabiles, etiamſi aliquo jam modo, poſt auditas Scepticorum rationes dubitandi, videri poſſint dubiæ, voluntatem in contrarium verte-

mus, id est aliud sumemus propositum, quod est contrarium ei quod antea habuimus, videlicet opinionem illam de sensuum certitudine, & rerum materialium existentia, & per consequens etiam num sit *sol*, qui tales edit actiones, quemadmodum hactenus optimati sumus, habendi aliquantisper, donec novum est institutum examen, pro falsa, ejusque non majorem habendi rationem quam si foret falsa. An non tale propositum, ad quod assumendum sana ratio nos invitat, æquare libram poterit, & esse efficax ad vetus præjudicium depellendum? 2°. Illud animi propositum non gignit habitum, sive mentis dispositionem ad semper perseverandum in illo præjudicio; quia tale propositum non sumitur nisi ab iis qui serio & statim proposuerunt opiniones ad examen exactius revocare; atque in eum finem, ut ab illo desistant simulac istud factum est: interim ad veterem habitum expellendum, propter rationem dictam est sufficiens. 3°. Quod Adversarius dicit, *se non videre, quinam hæc non discrepent à Cartesii disciplina*, qui plane consuetudini assentiendi vult opponi consuetudinem dubitandi, quippe qua nihil conduceat magis ad firmam rerum cognitionem assequendam; *Reffsonionibus ad secundas objectiones*, nimis quam ridiculum est. Cartesius non longe à principio Resp. sec. dicit: *Nihil magis conducere ad firmam rerum cognitionem assequendam, quam ut prius de rebus omnibus præsertim corporeis dubitare assuescamus.* Quænam quæso hic singi potest inter Cartesium & Claubergium discrepantia? Cartesius loco dicto, antequam firmam rerum cognitionem sumus assediti, ad eam acquirendam, utilissimum esse judicat ut de rebus omnibus præsertim corporeis, propter rationes dubitandi, assuescamus dubitare, donec scilicet legitimum examen est institutum, quod, uti dictum est, vitiosum habitum gignere non potest. Quinimo cum foliummodo dubitando, quemadmodum superius visum est, ad optatum finem pervenire non possumus facile, judicat præterea utilissimum esse ut dubia fingamus esse falsa. Quod Claubergii interpretationi est in omnibus consonum.

X V I I I. Claubergius ad ista verba, *Me ipsum fallam, commentans dixerat, Fucum ejusmodi non minorem hic usum habere, quam in rebus politicis & militaribus.* Si enim negligentes nimium sunt milites in faciendo officio, sc̄pe Gubernator nocturnos tumultus excitat, ut evigilantes armis intenti esse discant. Sic igitur mens nostra socors & supina excitanda est, ut vigile ne fassis opinionibus, tanquam clandestini hospibus, præda fiat, & ab iisdem specie & larva quasi hospitiū apud amicum capiendi, ut solita fue-

fuerunt, occupetur. Istud paragrapho 19. homo insulsus comprimit faciem esse ait, quia longissime diversa sunt hæc; alium quemlibet fallere vel se ipsum fallere. Sed quid hoc ad rem præsentem facit? Claubergius enim tantum agit de paritate usus utriusque fallaciæ. Dicitur, inquit porro, quidem sese ipsum fallere, qui rationes suas male init: unde fit uti frustretur eo sine, quem sibi proposuerat: verum quomodo sciens quispiam & volens ipsum sese volentem & scientem fallere posse plane non capio. Verum, relicitis insubidis dictiis & exclamationibus, quas hisce subiungit scurrandi artifex, sufficit notare ineptam hanc esse cavillationem: fallere enim se ipsum sano sensu quis dici potest, qui, ut mentem suam avertat à fide adhibenda iis opinionibus, quæ quidem aliquo modo sunt dubiae, sed tamen valde probabiles, artificio quodam uititur, voluntatem, sensu superius tradito, in contrarium vertendo, sumendoque propositum opiniones istas non alio loco habendi quam si falsæ forent. Quod insignem usum habere ostensum est.

X X I X. Paragrapho 20. suspicatur homo ineptus, *Claubergium Cartesii* mentem parum feliciter asseditum esse. Verbaque ista Cartesii, *Voluntate in contrarium versa me ipsum fallam, nihil aliud significare posse*, ait, *quam judicium sive judicandi facultatem in contrarium vertere, id est, uti opinatur, contrarium judicare. Nam judicare, inquit, secundum placita Cartesii, voluntatis est officium.* Atque porro addit, *se propterea vix dubitare, quin omnino Cartesius hoc voluerit: nempe fictionem illam & fictitiam hypothesis, videlicet consuetas opiniones non esse tales, quales revera sunt, puta probabiles, imo vero falsas esse omnes imaginariasque, tamdiu vendam esse, donec posteriora praedicta non minus animo defixa sedeant, quam priora.* Respondeo 1°. Summam esse congruentiam inter doctrinam Cartesii & Claubergii interpretationem abunde ex retrodictis constat. Neque stolidis suis cavillationibus Sophista hic unquam efficiet ut quisquam sanæ mentis aliter sit crediturus. 2°. Nunquam in animum induxissem quenquam repertum facile iri hominem, ne dum Theologum professione, qui ausus esset sciens & volens mentem alicujus ita pervertere. Non enim ipsum latet Auctorem Septimaru[m] objectionum quæst. 1. §. 2. lit. E. in eundem sensum visum esse voluisse mentem Cartesii explicare. Verba ejus hæc sunt: *Dicis gratia, inquit ille, cum dubium sit habere te oculus, te caput, te corpus, adeoque illud habere debeas pro falso, ex te scire velim quid sit illud, habere pro falso, an credere, & dicere falso est me habere oculos, caput, corpus? An credere & voluntate plane in contrarium versa dicere, non habeo oculos, caput,*

caput, corpus, sive ut verbo dicam, credere, dicere, ponere oppositum ejus, quod dubium est? Hoc ipsum ait, &c. Neque minus novit (constat enim ipsum has legisse objectiones & responsiones ex textibus quos inde allegavit) Cartesium respondisse in hanc formam: Ubi dixi dubia esse aliquandiu pro falsis habenda, sive tanquam falsa rejicienda, tam manifeste explicui me tantum intelligere, ad veritates Metaphysica certas investigandas, non majorem habendam esse rationem dubiorum, quam plane falsorum, ut nemo sanæ mentis videatur posse aliter mea verba interpretari; & nemo mihi assingere, me voluisse credere oppositum ejus quod dubium est, presertim, ut paulo post habetur, ita credere, ut mihi persuadeam aliter habere se non posse, atque illud certum esse, nisi qui pro cavillatore haberet non erubescat. Et quamvis hoc ultimum ab auctore nostro non affirmetur: sed ut dubium tantum proponatur, mirum tamen virum tam sanctum voluisse hac in parte imitari pessimos illos detractores, qui sepe sic tantum narrant ea quæ de aliis credi volunt, addentes se ipsos non credere, ut impunius maledicant. Legantur etiam quæ ibidem Cartesius respondet ad hæc verba: Atque illud est dubitare in orbem ferri. Item ad ista: Ergo ex lege ponam dicamque nullum corpus existit. Ita ut luce meridiana clarius sit hunc nostrum adversarium esse malitiosum calumniatorem, cum, ut posset cavillari, mentem alicujus eo interpretatur modo. Plura non addam hoc loco ad Cartesii defensionem; quia superius de iisdem hisce satis superque actum est.

X X X. Sed mentem suam, inquit, eo modo ipse Cartesius explicare videtur. Quintis Responsionibus ad primam Med. adhibita similitudine baculi nempe curvi, quem, uti rectus exeat, in adversam partem recurvamus. Ac porro subjungit, baculum illum curvum, nisi fallitur, animum esse prejudiciis occupatum. Atque hunc, uti rectus exeat, contrariis opinionibus atque prajudiciis imbuedendum esse. Deinde quoque post caninos aliquot latratus ita pergit: Nam quod Cartesius illico subdit, quasi notissimum; Sepe falsa pro veris utiliter sic assumi, ad veritatem illufstrandam; ut cum Astronomi Äquatorem, Zodiacum, aliosque circulos in cœlo imaginantur: cum Geometra novas lineas datis figuris adjungunt: & sepe Philosophi multis in locis. Totum, inquam, illud & ridiculum prorsus est, & longissime alienum. Quare quæso? Nihil, inquit, hoc pacto falsi pro vero supponitur. Tantum in corporea natura linea quadam & circuli designantur animo. Philosophi porro, non inferior, adversario petenti falsum effatum tantisper haud raro quasi verum concedunt, adeoque supponunt quodammodo. Sed quid hoc ad rem? Nec enim de qualicunque falsorum suppositione pro veris impræsentia-

sentiarum est questio : de tali suppositione disputatio est , que mentem praeditis falsis & opinionibus imbuat : & retro curvam in contrariam partem recurret. Respondeo 1°. Baculus curvus est animi propositum quod habuimus veteres opiniones dubias quidem aliquo modo , sed interim valde probabiles , credendi esse veras. Baculus in contrariam partem recurvatus est animi propositum priori contrarium , non quidem credendi , sive judicandi opiniones esse falsas , sed fingendi , & per mentis fictionem supponendi , eas esse falsas , veluti sepius explicatum est , & ex textus circumstantiis patet. 2°. Cum Astronomi & Geometræ in celo imaginantur æquatorem , Zodiacum , &c. non credunt esse revera in celo eos circulos , &c. sed mentis quadam fictione supponunt , quasi illuc essent , iisque tanquam hypothesis utuntur , ultra quod Cartesius nihil voluit , quia id sufficit ad illustrandum id quod intendit. 3°. Non nisi per calumniam dicitur , hic disputari de tali suppositione , quæ mentem falsis opinionibus & præjudiciis imbuat , uti ex dictis patet.

X X X I. Paragrapho 21. Homo facetus , se nunquam potuisse non mirari , ait , quotiescumque ipsi in mentem venit eorum quæ leguntur apud Cartesium Dissertatione de methodo. Sed opera pretium est videre , quam justa ipsi fuerit mirandi causa. Cartesius igitur §. 18. ita dixerat : *Quod ad eas opiniones attinet , quas ego ipse in eum usque diem fueram amplexus , nihil melius me facere posse arbitrabar , quam si omnes simul & semel e mente mea delerem , ut deinde vel alias meliores , vel certe easdem , sed postquam matræ rationis examen subiissent , admitterem .* Dixerat etiam aliquanto post : *Quamvis , quia meum opus mihi ipsi satis placet , ejus exemplar hic vobis proponam , non ideo cuiquam auctor esse velim ut simile quid aggrediatur .* Poterunt fortasse alii , quibus Deus præstantiora ingenia largitus est , majora perficere . Sed vereor ne hoc ipsum quod suscepi tam arduum & difficile sit , ut valde paucis expeditat imitari . Nam vel hoc unum , ut opiniones omnes , quibus olim fuimus imbat , deponamus , non unicuique est tentandum . Post hæc allegata ait , eundem tamen ab initio Principiorum Philosophie sic fari . Quoniam infantes nati sumus , & varia de rebus sensibilibus judicia prius tulimus , quam integrum nostræ rationis usum haberemus , multis præjudiciis à veri cognitione avertimur , quibus non aliter videmur posse liberari , quam si semel in vita de iis omnibus studeamus dubitare , in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperierimus . Quin & illa etiam de quibus dubitabimus , utile erit habere pro falsis , ut tanto clarius quidnam certissimum & cognitus facilissimum sit inveniamus . Et paulo post : Dubitabimus

imprimis an illæ res sensibiles & imaginabiles existant. Dubitabimus etiam de reliquis, quæ ante a pro maxime certis habuimus; etiam de mathematicis demonstrationibus; etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus esse per se nota. Atque de hisce judicium ferens, Conciliet ista, inquit, qui potest, & cui vacat. Sed quid opus est conciliatione, ubi ne minima quidem contradictionis umbra reperitur. Forte autem huic homini hæc talia visa sunt per insomnium, quo res sub aliena facie & specie sèpiuscule solent præsentari. Quæ etiam postea subiungit amentis potius deliria sunt, quam solida argumenta. Mibi, inquit, certe res minima ridicula videtur & jocosa. Nempe vult Cartesius nihil æque prodeſſe, quo firmam & solidam rerum scientiam consequamur, atque dubitationem, sive veterum præjudiciorum omnium depositionem. Et hanc methodum tamen adeo necessariam homo per quam oculatus quasi commodam ſoli ſibi vendicat, & paucis preterea, nescio quibus, alba gallina filii. Obſecro, quannam ob rationem? Enimvero, maxima pars hominum, inquit Cartesius, sub duobus generibus continetur, quorum neutrī potest convenire: Nempe permuliſunt, qui, cum plus equo propriis ingeniis confidant, nimis celeriter ſolent judicare, nunquamque ſatis temporis ſibi ſumunt ad rationes omnes circumſpiciendas, & idcirco, ſi ſemel auſtini opiniones omnes vulgo receptas in dubium revocare, & velut à trita via recedere; non facile illi ſemita, quæ reſtius dicit, ſemper iſſiſtent; ſed vagi potius & incerti in reliquam vitam aberrabunt. Alii vero fere omnes cum ſatis judicii vel modiſtia habeant ad exiſtimandum, nonnullos eſſe in mundo, qui ipſos sapientia antecedant, & à quibus poſſint doceri, debent potius ab illis opiniones, quas fecuturi ſunt, accepere, quam alias proprio ingenio i[n]veſtiſſare. Poſt hæc i[n]ſanum in modum exclamat: O methodum certe paucorum hominum, & mentium beneſanarum! Rogatque, quinam tandem illi ſint, quibus expeditat vulgo receptas opiniones, quibus & ipſi quoque imbuti forte pridem fuerant vocare in dubium; ſi neque modiſtis, neque praſidentibus & levibus ingeniis, uile ſit à trita via recedere? Illi ſoli ſunt, quibus unica veritas cordi eſt, firmitumque ſumunt propositum de omnibus dubitandi, quin etiam pro falsis habendi, in quibus vel minima falsitatis vel incertitudinis ſuſpicio invenitur; & qui per conſequens neque nimis precipitantes ſunt in judicio ferendo ante juſtum ſcilicet examen institutum, ad quod juſta temporis mora, diligentia, attentio, & meditatio requiriuntur; neque per modiſtiam aliorum auctorati nimium tribuant; ſed ſolum rationis filum ſequi ſtatuentes, illud tantummodo pro vero aſſumunt quod clare & diſtincte percepereunt, & ad claros & diſtin-

ctos.

Etos conceptus formandos omnem impendunt industriam & laborem quibus illud obtinetur. An porro methodus hæc propterea culpanda venit, quia paucis, propria scilicet eorum culpa, convenit, & à paucis observari potest? Ego semper credidi sapientiæ arcem paucissimis patere. Omnes regiones perambulentur, & consulatur quantillus sit numerus eorum, qui Sapientis titulum revera merentur. Neque prætereundum est quod per calumniam Cartesio hic affingitur, quasi absolute & generaliter dixerit, *modestis ingenii utile non esse à trita via recedere.* Non enim de aliis sermonem instituit quam de iis, qui satis judicii vel modestiæ habent ad existimandum nonnullos esse in mundo, qui ipsos sapientia antecedunt, & à quibus possunt doceri, & per consequens eorum auctoritati nimium confidere confueverunt: atque de illis dicit, quod debeant potius opiniones, quas secuturi sunt, ab aliis istis accipere, quam alias proprio ingenio investigare. Ratio est, quia præjudicium de eorum sapientia & eruditione ipsis semper erit impedimento, quo minus rationis lumen, uti par est, sequi possint.

XXXII. Paragrapho 22. nihil aliud notandum occurrit, quam eos, qui ex ingenii levitate nimis præcipitantes sunt in judicio ferendo, vel aliorum auctoritati nimiam adhibent fidem ex modestia, contentos esse debere superficiaria cognitione, quæ tantum est opinio male fundata. Porro Cartesius Dissertatione de Methodo, post jam statim allegata, ait, *se proculdubio futurum fuisse in borum numero* (qui scilicet, cum satis judicii vel modestiæ habeant ad existimandum nonnullos esse in mundo, qui ipsos sapientia antecedunt, & à quibus possunt doceri, debent potius ab illis opiniones quas secuturi sunt, accipere, quam alias proprio ingenio investigare,) *si unum tantum preceptorem habuisset, & nunquam diversas illas opiniones cognovisset, quæ ab omni memoria doctissimos quoque colliserunt.* Item paulo post: *Quia neminem inter ceteros eligere poterat, cuius opiniones dignæ viderentur, quas potissimum amplectetur, aliisque omnibus anteferret, se fuisse quodammodo coactum, proprio tantum consilio uti ad vitam suam instituendam.* Ad ista nugator noster ita commentatur. Plane, inquit, *huc res hæc pertinet, uti Cartesium suo sibi solius ingenio sapuisse credamus, neque ulli preceptoris quidquam debuisse.* *Quod quam verum sit, alterius & prolixioris est indaginis.* Si Adversarius alterius non suo ingenio sapere velit, per me licet. Ego cum Cartesio judico propriæ rationis lumen sequendum esse in Philosophia, neque ulli opinioni adhærendum propter aliorum præsentium auctoritatem. Errare illi potuere, neque quidquam adeo

absurdum est quod non ab aliquo Philosophorum defendatur. Neque ex eo sequitur nihil veri ab aliis traditum esse, quod non sit amplectendum, ubi ad rationis trutinam est expensum. Apposite ad hanc rem Cartesius Responsonibus septimis in Notis ad Questionem 2.

§. 2. littera 2. Si quis, inquit, forte haberet corbem pomis plenam, & vereretur, ne aliqua ex pomis istis essent putrida, velleretque ipsa auferre, ne reliqua corrumperent. Quo pacto id faceret? An non in primis omnia omnino ex corbe rejiceret; ac deinde singula ordine perlustrans, ea sola, quae agnosceret non esse corrupta resumeret, atque in corbem reponeret, alias reliquias?

Eadem ergo ratione, ii qui nunquam recte philosophati sunt, (sequendo videlicet rationis lumen) varias habent in mente sua opiniones, (inter quas quoque numerandas sunt quas a præceptoribus didicimus, & eorum auctoritate nisi credidimus) quas cum a pueritia coacervare coepirint, merito timent ne pleraque ex iis non sint vera, ipsaque ab aliis separare conantur, ne ob earum misturam reddantur omnes inceſta: Hocque nulla meliore via facere possunt, quam si omnes simul & semel, tanquam incestas falsasque rejiciant; ac deinde singulas ordine perlustrantes eas solas resumant, quas veras & indubitas esse cognoscent. Ita Cartesius proprio suo ingenio sapit, ut tantum non deneget fidem iis, quæ ab aliis dicta sunt, postquam examine instituto vera esse deprehenduntur. Quantum porro ad locum communem de ambitione Epicuri, is, fateor, egregie ipsi commodus est ad ostentandam suam garrulitatem, sed nego Cartesium similis ambitionis, nisi per calumniam, accusari posse.

XXXII. Paragrapho 24. ad postremo allegatum textum è Dissertatione de Methodo hunc in modum pergit. Frigide, inquit, profecto ac jejune. Nam si neque Scepticorum natio, neque dogmaticorum illa secta placebat, quid vetabat, quo minus Eccliticorum vestigia premceret? Ac sparsam per tot sectarum discrimina diffusamque veritatem excerpteret, in que unum colligere corpus & redigere conaretur? Floriferis ut apes in salibus omnia libant. Net enim, quantum existimo, Philosophus nullus, vel saltem illa Philosophorum secta tam est infelix, ut nihil ex vero rident. Respondeo: hic rursus calumniatorem supponere quasi Cartesius dixisset nihil ab aliis dictum esse quod sit verum. Hoc dicit nihil quod ab aliis dictum est recipiendum esse propter eorum auctoritatem, sed revocandum esse ad novum examen, & ad rationis trutinam expendenendum, antequam recipiatur. Deinde, Si tantum ea colligerentur, quæ hactenus inventa fuere, quæque vera deprehenduntur, nullum inde sistema Philosophiae integrum, cuius partes omnes super solidis fon-

fondamentis extractæ apta conspiratione connecterentur , formari posset. Quam multa enim non deficerent ! Quam magni non relinquenterunt hiatus ! Et experientia testatur quam infeliciter opus successerit iis , qui hactenus id tentare sunt conati. An autem Cartesius secundum suam methodum hac in re præ cæteris palmam meruerit, ex iplius scriptis judicari potest ab iis qui à præjudiciis liberi sunt.

X X X I V . Paragrapho 25. Ex eo quod Cartesius dixerat , *vel hoc unum , ut opiniones omnes , quibus olim fuimus imbuti , deponamus , non unicuique esse tentandum , conficit homo noster hanc fuisse ejus mentem.* Ex quo ipse dubitationum pelagus immensum atque profundissimum & intravit & enatavit feliciter , opus haud esse tam prolixia tamque laboriosa dubitatione. Quod præceptor veri jam non ultra desit , qui sacerrimo mysterio dubitandi sit perfunctus absolutissime , uti post futuros ea molestia liberaverit : erutaque de infinitis abyssis veritate , reliquam iu fecerit gloriam credulitatis. Cur Cartesius hoc unicuique non esse tentandum dixerit expressis verbis , ut visum est , addidit : ita ut hæc conjectatio non nisi malitiosi animi , omnia perverse interpretantis , ut habeat cavillandi occasionem , figmentum sit. Porro valde nobis gratulamur quod Cartesius historiam observationum suarum de his quæ in dubium sunt revocanda , & tanquam falsa consideranda , in Dissertatione de Methodo communicaverit , causasque addiderit , cur id faciendum sit , si nil nisi quod certissime verum est velimus admittere : quia ista legentibus , & animadvententibus rationi esse admodum consentanea , magnum factum est operæ compendium. Interim & hoc addimus non nisi per calumniam fingi , Cartesii mentem fuisse , solam credulitatis gloriam nobis relinquere in eruta ab ipso veritate. Quidni locus additur ubi ipse tam iniquam petitionem instituit ? Cartesio non major est habenda fides , quam quibusvis aliis. Solum rationis dictamen audiendum in Philosophia , ipsius præcepta si sequamur. An autem in omnibus illud secutus sit ipse in scriptis , quæ in lucem emisit , singulorum est judicare. Ceterum , inquit Adversarius , *uti plane liqueat , non inanem esse conjecturam , quod occuperam dicere , hoc agi , ne quis audiat post Rosciū saltare , id est , ambigere post Cartesium , fidem adhibet Clarissimus Clatbergius , Initiatione Philosophi , quinto capite.* Cuius adeo verba libertate adscribere. Cartesius in dubitatione novennali non est imitandus ; sicutum enim foret se per tot annos nunc velle parare , ad Philosophiam proprio ingenio inveniendam , cum ea , quæ unice semper fuit experta , jam inventa & tradita nobis sit à Cartesio : neque in ea , dubitatione videlicet no-

vennali , consideranda , menses aut hebdomadae ullæ impendenda sunt . Quid ergo , inquit noster , restat ? Certe nihil aliud quam unum hoc , ut audacter in quacunque Cartesii sententias illico pedibus eamus , & vero clausis oculis quam citissime nos proripiamus . Notandum est circa hæc , ut de Claubergii mente judicari possit , eum à paragrapho 19. capituli 5. ad 21. inter se se conferre dubitationem Cartesii novennalem , de qua agitur Dissertatione 1. & initio Principiorum Philosophiæ ; & numerare inter eas (quamvis , ut ait , habeant nonnulla communia , in quibus ab una ad alteram licet argumentari) septem differentias , è quarum sexta desumpta sunt jam jam citata , sed confuse satis & mutilate , ut scilicet cum majori probabilitatis specie incautos decipere posset . Claubergius ita loquitur : *In dubitatione Metaphysica Cartesius imitandus est eo modo quo alibi explicatur , & ipse vult ut menses aliquot vel saltem hebdomadas in iis , de quibus prima Meditatione tractat , considerandis impendamus . (Responso secundis post initium) Verum in dubitatione novennali non est imitandus , (stultum enim foret , se per tot annos nunc velle parare ad Philosophiam proprio ingenio inveniendum , cum ea quæ unice semper fuit expedita , jam inventa & tradita nobis sit à Cartesio) neque in ea consideranda menses aut hebdomadae ullæ impendenda sunt .* Cum Claubergius expressis verbis dicat Cartesium esse imitandum in dubitatione Metaphysica convenienter ipsius disciplinæ , ut scilicet mentem à præjudiciis liberemus , cumque inter cætera unum ex præjudiciis sit , quod nimium soleamus fidere auctoritatibus aliorum , manifestum est ipsum velle ut ne quidem fidem adhibeamus iis quæ à Cartesio sunt tradita , antequam ad rationis lamen expensa deprehenduntur esse vera . Quantum vero ad dubitationem Cartesii novennalem , in quo eum non esse imitandum existimat Claubergius , nihil dicit quod non est apprime conveniens : cum enim ille per novem annos inter homines conversando & peregrinando observaverit , quid circa res singulas , prout occurrerant , in dubium revocandum sit , & propter quas causas ; cumque ille secundum methodum à se inventam Metaphysicæ & Physicæ principia postea nobis solidissima tradiderit , quæque sunt , Claubergii & plurimorum aliorum judicio , talia qualia semper fuerunt expedita , labori tanto parcere possumus , & ipsius vestigia sequi , sed ea semper adhibita cautela ex ipsius præscripto , nequid auctoritati tribuamus nimium . Euclides ex. gr. multum temporis & laboris procul dubio impendit in geometriæ elementis , tum inveniendis , tum concinnandis :

nandis: An non stultum foret , si quis , contemptis iis quæ ille nobis tradidit feliciter , vellet tam immensum laborem impendere , ac ipse fecit , ad talia elementa proprio marte & ingenio invenienda ? In eo præcipue consistit honor , qui primis Scientiarum & Artium inventoribus debetur , quod , cum viam nobis monstraverint , qua eundem sit , à magnis molestiis nos liberaverint , quæ inquisitioni impendenda sunt. Absit tamen ut eos clausis oculis ita sequamur , ut non ipsi prospicere continuo velimus , an non forte seducant. Iste est sensus dictorum Claubergii. Cum igitur id quod Claubergius dicit , iis quæ adversarius ipsi affingit , sint plane contraria , manifestum est & hic eum rursus calumniari.

X X X V. Cartesius Epistola 10. Tom. 2. cum inter cætera ipsi proposita esset quæstio , *Utrum de Deo dubiare unquam liceat?* antequam respondeat , eam aliquantulum immutando , ut sensum habeat generaliorem , ita proponit , *Utrum naturaliter possumus de existentia Dei dubitare?* Quæ sane non est mirifica interpretatio , ut cavillatori huic videtur , si intentio Cartesii spectetur. Existimat autem Cartesius in hac quæstione , *distinguendum esse in dubitatione inter id quod ad intellectum , atque id quod ad voluntatem pertinet;* nam quantum ad intellectum , inquit , quæri non debet utrum aliquid ipsi liceat nec ne , quandoquidem non est facultas electiva , sed solum an posset ; & quidem certum est permultos esse quorum intellectus de Deo dubitare potest ; & in hoc numero ii omnes , qui existentiam ejus evidenter demonstrare nequeunt , quamquam alioqui vera fide prædicti sunt ; fides enim ad voluntatem pertinet , qua separata potest fideli naturali ratione examinare an sit Deus aliquis , atque ita de Deo dubitare. Quantum vero ad voluntatem , distinguendum est etiam inter dubitationem que finem , & eam que spectat media : si quis enim sibi pro scopo proponat dubitare de Deo , ut in hac dubitatione persistat , graviter peccat , dum vult in re tanti momenti pendere in dubio. Verum si quis hanc sibi dubitationem proponat tanquam medium ad clariorem cognitionem assequendam , rem facit omnino piam & honestam , quia nemo potest velle finem , nisi velit simul media ; & in ipsa Sacra Scriptura sepe invitantur homines ad hanc Dei cognitionem ratione naturali querendam. Neque etiam is peccat , qui propter etiundem finem totam , quam de Deo habere potest , cognitionem ex animo ad tempus summovet ; neque enim tenemur indefinenter cogitare quod Deus existat ; alioqui dormire nunquam , aut aliud quidquam facere licet , quia quotiescumque aliud quid agimus , seponimus in id tempus totam cognitionem quam de divinitate habere possumus. Ista quæstionis hujus solutio tam pa-

rum placuit Adversario, ut paragrapho 26. & seq. hunc in modum contra eam deblateret: *Quia profecto, inquit, tam dicta sunt imperite, ut ne quidem anicula digna sint lucubratione. Quid enim? Quasi vero, ut ordine retrogrado telam hanc retexamus, dubitatio de existentia Dei, sive assensus cohibito super existentia Dei, medium sit aptum & necessarium ad consequendam existentia Dei certam cognitionem.* Atqui haec opposita esse vel meridiana luce constat clarius. Oportetque ut assensus expellat longe dubitationem de existentia Dei, sive illam intelligere lubet assensus alternationem, sive cohibitionem & retentionem. Illud etiam observandum est, retentionem assensus non significare meram negationem assensus, nec enim profecto vel dormiens vel insensibilis primulum natus recte dicitur assensum cohibere. Sed neque, uti opinor, proprietas assensum retinere dicitur, qui plane non attendit; aut considerat, quamquam deberet attendere, considerare, assensum præbere. Assensus nisi plurimum fallor, judicio quodam retinetur, quod non potest non esse contrarium judicio illi quo prebetur assensus. Ut omnino mirificum sit, qui dubitatio super existentia Dei, sive retentio assensus, posse esse medium aptum & necessarium ad assensum solidum & firmum, sive ad cognitionem existentia Dei certam & claram. Quis credit hunc hominem sanæ mentis esse; qui audeat clamare Cartesii responsionem tam imperitam esse, ut ne quidem anicula digna sit lucubratione, cum audit ipsam ab eo adeo inepte & stolido impugnari. Sed ne nimis temerario haec à me dicta videantur, quæ ipse objicit penitus aliquanto examinanda sunt. Argumentum ejus, nisi fallor, tale est: *Si dubitatio & assensus sunt opposita, ita ut assensus expellat dubitationem; ergo dubitatio non potest esse medium aptum & necessarium ad consequendam existentia Dei certam cognitionem.* Sed dubitatio & assensus sunt opposita, ita ut assensus expellat dubitationem. Ergo dubitatio non potest esse medium aptum & necessarium ad consequendam existentia Dei certam cognitionem. Nego consequentiam. Et cur quæso eam probare non tentavit? An vero putavit se tantæ esse auctoritatis virum, ut quidquid temere effutit, etiam sine probatione, debeat fidem mereri? Dubitatio & assensus sunt opposita; simul enim de eadem re nemo potest dubitare, ei que assensum præbere; & assensus expellit dubitationem. Sed & eadem ratione generaliter media & finis sunt opposita; cessant enim media cum finis obtinetur, finisque expellit media, quia eorum tum nullus amplius est usus. Quis exempli gratia nescit iter, & existentiam in civitate, ad quam itinere tendimus, esse opposita, neminemque simul posse esse in itinere, & in civitate illa? Ex eo autem nemo sanæ mentis concludet, iter

iter non esse medium aptum pervenienti ad civitatem. Cum porro dubitatio dicitur medium perveniendi ad cognitionem, illud ita non est intelligendum, quasi dubitatio ad veritatem aliquam inveniendam vel stabiliendam per se sua operatione sufficeret; sed quod ea, uti ante visum est, impedimenta tollit, liberatque mentem à præjudiciis, quæ efficiunt ut nunquam accuratioris inquisitionis desiderio teneamur: quilibet enim judiciis ante formatis fidens in iis acquiescit. Dubitatio igitur medium est mentem præparans apteque disponens ad aliorum mediorum usum, quæ sua operatione ad accuratiorem cognitionem acquirendam facere possunt. Similis nimis ea est medicamentis, quæ à medicis præparantia appellari consueverunt; quia non quidem adhibentur, ut sanitatem per se operentur, sed solummodo, ut corpus præparent & disponant ad legitimum aliorum curantium medicamentorum usum. Porro *Retentionem assensus vel dubitationem non nisi admodum improprie significare meram negationem assensus*, &c. ultiro conceditur; neque vel hic vel alibi unquam Cartesius contrarium dixit. Et quidem hoc loco solummodo probat eum non peccare, qui propter finem antea designatum totam, quam de Deo (eo scilicet tempore, quo nondum habet omnino solidam,) habere potest, cognitionem ex animo ad tempus summovet: quia si peccaret, ejus alia non posset assignari ratio, quam quod teneamur indesinenter cogitare quod Deus existat: verum ad id non sumus obligati; quia alioqui dormire, aut aliud quicquam facere, quo ad tempus omnis de divinitate cogitatio seponitur, nunquam liceret. Ut non videam quorsum nugatoris hujus observatio ista spectet.

XXXVI. Aliquanto post dicit Adversarius, *Claubergium libelli de Dubitatione Cartesiana cap. 11. §. 40.* grandius etiam tibias inflare: verum ut uno pene habitu cantet palinodiam. Quo jure hoc ab ipso dicatur facile patebit, si ipsa Claubergii verba allegemus. *Alia*, inquit ille paragrapgo 40. *cavillatio est, qua sic nobis objicitur: Principia Philosophiae debent esse certa, non dubia; vestra sunt dubia, imo ipsa dubitatio.* Resp. *No-runt illi principia Peripateticorum Physica distingui in ea que sunt generationis, & ea que constitutionis. Ad generationem corporis materia, forma, & privatio concurrere dicuntur, sed è sola materia & forma constitui & componi corpus afferitur. Atqui dubitatio Cartesiana est solum principium generationis Philosophia, uti privatio illa Physica, non constitutionis, uia materia & forma, est terminus à quo, qui abjicitur. Atqui certitudinem Philosophus tantum requirit in iis que scientiam constituant, quæ partes Philosophia sunt, & in ea*

ea manent. Haec tenus Claubergius. Quid autem ad ista homo noster? *Bonum factum*, inquit, *quod nugas nugis comparet.* Verum hac ratione ignoratio non minus atque dubitatio dici queat Philosophiae principium. Respondeo. Si privatio consideretur non simpliciter, ut est absentia formæ in materia, sed ut includit quoque, & quidem principaliter, materiæ dispositionem & præparationem ad formæ introductionem prærequisitam, non male à Peripateticis privatio inter generationis principia numeratur. Atque hoc absurdum esse nugator noster probare deberet, non supponere. Simili igitur modo dubitatio, quatenus est medium per quod animus præparatur & idoneus fit, uti visum est, ad veritatem investigandam, legitime dici potest principium cognitionis. Neque eadem ratione ignoratio, ut est simpliciter negatio cognitionis, dici potest Philosophiae sive Cognitionis principium seu medium; quia ea neque per se quicquam confert, neque per modum præparationis, ad cognitionem acquirendam. Egregie, scilicet, nugator ostendit Claubergium vel quicquam hic dixisse, quod est præter rationem; vel de quo palinodiam cantaverit. Paragrapho 27. eadem oberrans chorda, *Et paulo quidem*, inquit, *ante Claubergium ultro fatentem audivimus*, dubitationem esse terminum à quo, qui abjicitur: plane uti stolidum sit illam fingere quasi medium pervenienti ad clariorem & certiorem cognitionem veritatis. Sed jam antea demonstratum est consequiam eam esse adeo ineptam & ridiculam ac quicquam esse potest.

XXXVII. Ut porro ostendat quanto pietatis zelo afficiatur, *Quod sentio*, inquit ibidem, *eloquar.* Dubitationem de existentia Dei plam dici comprimis & honestam, licet ea referatur ad inquisitionem veritatis, milie quidem videtur adeo absolum, ut horrorem incutiat. Certe quin aliqua dubitatio, sive assensus retentio sit innocens, imo vero etiam dubitatio proprie dicta, id est, assensus alternatio, nullus infirmior. Quemadmodum & ignorantia quedam est omni criminе vacua. Sed & sicuti officiorum, quibus ad stricti naturaliter sumus, ignorantia non potest non esse culpabilis, ita neque prorsus omni vitio carere potest non tantum proprie dicta super iisdem dubitatio, verum etiam quæcunque assensus cohibito, velut ab incertis. Et hæc prefecto mens humana, nisi congenitam lucem Protoplæsti decoxisset, primo tanquam iclu pervidisset circa caliginem ullam, vel ignorantia, vel dubitationis. Atqui existentiam Dei certo agnoscere, non modo necessarium est officium, sed & ad omnium denique pertinet veluti stirpem ac radicem officiorum. Et vero, cum Deus hominem condidisset purum & rectum, inque animo ejus insignem accendisset lucem cognitionis, & quasi sacram adem constituisse, in qua vir-

tutes omnes amicissime cohabitarent; putemusne talem, actanta claritate di-
vinitus illustratum, ad cognitionem existentia Dei, sive ad contemplationem
Dei non potuisse nisi suspenso gradu, perque dubitationum gyros & anfractus
ascendere? Vel assensum aliquandu cohibuisse, vel cohibere debuisse super ex-
istentia Dei, quæ toto fulgore mentem pulsabat? Manifestum igitur est, istius-
modi dubitationem super existentia Dei factum esse rationis jam degeneris, &
caliginosæ ac distortæ. Sed neque quicquam certius esse potest, quam dubita-
tionem super existentia Dei, sive retentionem assensus, itidem & quoque di-
lectionem erga Deum suspendere atque intercipere: quandoquidem oculi duces
in amore sunt. Et istiusmodi dubitationem quisquam laudare ausit quasi vero
plane piam & honestam! Totam hanc Adversarii disputationem non
nisi insulsas & putidas continere cavillationes & sophistications faci-
le est ostendere. Sed in antecessum notandum est Cartesium expresse
dicere eos, qui existentiam Dei, nimirum per rationis lumen, demon-
strare nequeunt, posse nihilominus esse vera fide præditos, & per
consequens ex alio principio de eo esse persuasos. Hoc supposito, cer-
tissimum esse concedimus officiorum, quibus naturaliter adstricti su-
mus, ignorantiam esse culpabilem. Si enim rationis lumine, quod ex
lapsu Adami multum quidem obscuratum est, attamen non plane ex-
tinctum, legitimate uteremur, quid nostri officii, tum erga Deum,
tum erga proximum sit, nosse possemus. Atque adeo ignorantia ta-
lis, cum procedat ex malo usu facultatum nobis concessarum, non
potest non esse culpabilis. Omnium autem est officium omni ope an-
niti, ut, quid sui officii sit, perscrutentur, & addiscant. Neque
sufficit de eo, quid nimirum sit officii nostri, qualemcumque habere
opinionem: sed oportet, ut per solidas & manifestas rationes simus
persuasi, quæ regula sit sequenda, ut à culpa simus immunes: quid-
quid enim sit fine fide, sive certa mentis persuasione & fiducia, pecca-
tum est. Si quis igitur forte hac de re opinionem aliquam conceperit,
sed solidis & manifestis rationibus non fundatam, adeoque velerro-
neam, vel saltem errori subjectam, sique id animadvertat; quæri-
tur quid ei faciendum sit? Respondeo, quantum ad vitæ praxin id
sequendum esse, quod maxime probabile ipsi videtur: id enim ei,
qui in tali statu est constitutus, est optimum & tutissimum. Verum
quantum ad theoriam sive contemplationem veritatis, opinio ista ali-
quantisper deponenda, modo antea explicato, ut mens à veteri præ-
judicio (opinio enim ista revera præjudicium est, sive judicium for-
matum citra rationis lumen) fiat libera, & idonea ad novum exa-

men instituendum, & ad certitudinem majorem tali medio acquirendam. Atque in illo proposito perseverandum est, donec id sit factum. Neque interim ullæ occasionses sunt prætermittendæ; neque quicquam committendum est quod ullum impedimentum isti negotio adferre possit. Neque dici potest, *illam sive dubitationem, sive suspensionem judicii, velut ab incertis esse vitiosam, quemadmodum & ignorantiam*: quia id unicum medium est, in tali statu constitutis, quo mens præparetur ad certam cognitionem asequendam. Dico unicum medium; quia, ut & ante dictum est, quamdiu quis assensum præbet opinioni quam habet, eique fudit, ad rem legitime examinandam, & veritatem accuratius investigandam, non instigabitur. Non magis etiam ad rem facit, quod *hac mens humana, nisi congenitam lucem Protoplasti decoxisse*, primo tanquam iictu ista pervidisset *citra caliginem ullam, vel ignorantie vel dubitationis*. Quandoquidem enim, proh dolor! non contingit nobis esse adeo beatis, quæstio tantum institui potest de nobis, in eo in quo impræsentiarum sumus statu, constitutis; qua nimirum ratione quibusve mediis mens nostra ab ignorantia, & male fundatis opinionibus quibus est obsessa, se possit liberare. Præterea si hæc ratio quicquam valeret ad probandum dubitationem Cartesianam esse vitiosam circa ea quæ sunt officii nostri; sequeretur etiam omnia media, quæ in hoc miserix statu constituti adhibemus, ut quid nostri officii sit cognoscamus, omnemque de eo inquisitionem esse culpabilem; quia nisi Protoplasti congenitam lucem decoxisserent, talibus mediis opus non fuisset. Tale autem quippiam statuere quis non novit esse quam maxime impium? Quandoquidem igitur ostensum est officiorum, quibus naturaliter adstricti sumus, ignorantiam esse culpabilem; dubitationem vero, quæ ignorantiam præsupponit, & est medium, quo mens præparatur ad certam eorum cognitionem acquirendam, quæque ad eum finem unice instituitur, non esse culpabilem, manifestum est Adversarii argumentationem non nisi absurdam & futilem esse sophificationem.

X X X V I I I. Verissimum etiam esse concedimus, *existentiam Dei certo agnoscere non modo necessarium esse officium, sed ad omnium deinde officiorum veluti stirpem & radicem pertinere*. Atque qui hac in re deficiunt non possunt non esse quam maxime culpabiles propter facultatum sibi concessarum malum usum; idque in re tanti momenti, cuiusque cognitio tam facile est comparabilis: non enim Deus procul est ab unoquoque nostrum. Sed si ponatur aliquem & quidem sua culpa,

culpa, esse adeo infelicem, ut certam existentia Dei cognitionem non habeat; sed tantum qualemcumque de ea formaverit opinionem, certis & evidentibus rationibus non subnixam, idque animadvertere incipiat; quæritur quid ei sit faciendum? Respondeo sicut ante, quantum ad vitæ praxim sequendum ei id esse, & secundum illud vitam esse instituendam, quod maxime pro eo tempore probabile & tutum est. Quantum vero ad theoriam, sive speculationem, dubitationis medium, quod propter rationem statim allegatam unicum & optimum restat, adhibendum est ad certiorem & solidiorem cognitionem acquirendam, ut ad illam tanquam fontem & originem omnium nostrorum officiorum, vita nostræ actiones dirigamus. Præterea si etiam ponatur aliquem adeo male rationis suæ lumine hactenus usum esse, ut non tantum Deum existere non cognoscat, sed etiam, imaginariis nescio quibus rationibus subnixus, credat non esse Deum (quales aliquando fuisse Atheos historiæ narrant ex eorum confessione), sique is animadvertere incipiat rationes quibus usus est ad impium suum dogma stabiliendum non esse firmas adeo, sicut antea apparuerunt; quæritur quid ei sit faciendum? Respondeo: Quoad vitæ praxin optimum & utilissimum ei erit statim amplecti eam opinionem, quod sit Deus, & secundum eam vitam instituere. Istud enim in eo statu constituto tutissimum est. Quantum vero ad theoriam, utendum ipsi est medio dubitationis, ad impium præjudicium suum deponendum, nulloque neglecto tempore & occasione omnia tentanda & conquirenda sunt media, quæ inservire possunt acquirendæ certæ rei adeo necessariæ cognitioni.

XXXIX. Non minus quoque certum esse dicimus, *cum Deus hominem condidisset purum & rectum, inque animo ejus insignem accendisset lucem cognitionis, & quasi sacram adem constituisset, in qua virtutes omnes amicissime cohabitarent, eum ad cognitionem existentia Dei, sive ad contemplationem Dei non fuisse assurrectorum nisi suspenso gradu, perque dubitatum gyros & anfractus ascensurum*. Sed quid inde? *Manifestum igitur est, inquit, iſiusmodi dubitationem super existentia Dei factum esse rationis jam degeneris, & caliginosæ, ac distorte.* Quis non erubescat ad tam absurdas consequentias & quidem à Theologo nexas? Simili enim ratione argumentari liceret, *cum Deus hominem condidisset purum & rectum, &c.* non fuisset assurrectorus ad cognitionem & contemplationem Dei inquirendo & investigando; ergo inquisitio & investigatio omnis per quam homo in statu lapsus constitutus cogitur assurgere ad

cognitionem Dei, est foetus rationis jam degeneris, & caliginosæ ac distortæ. Ullusne sanæ mentis id admittet? An non omnes dicent inquisitionem illam esse officium optimum & necessarium, supposita scilicet ignorantie, quæ in nobis habitat, ex quo lumen rationis per lapsum adeo obscuratum est? Et non esse foetum rationis jam degeneris; sed potius esse foetum tenuium illarum reliquiarum imaginis Dei adhuc in nobis superstitem per ejus gratiam? Similiter dubitatio hæc Cartesiana, prout medium est necessarium mentem præparans, non est foetus rationis jam degeneris, sed reliquiarum imaginis Dei, quæ etiamnum in nobis sunt.

X L. Porro dicit, *Nihil certius esse posse, quam dubitationem super existentia Dei, sive retentionem assensus, itidem & quoque dilectionem erga Deum suspendere atque intercipere: quandoquidem oculi duces in amore sunt.* Et paragraphum finiens exclamat, *Et istiusmodi dubitationem quisquam laudare ausit, quasi vero plane piam & honestam!* Sed respondeo 1°. notandum esse Cartesii dubitationem neque ad fidem, neque ad vitæ præxim ab eo extendi, sed solum ad contemplationem veritatis, uti ipse passim inculcat. 2°. Omne vitium quod hic est in dilectionis erga Deum suspensione, & interceptione, non in hac dubitatione, sed in ignorantia fundatur, quam ea præsupponit, & ad quam expellendam, veluti sæpius jam dictum est, tanquam medium adhibetur. Atque hanc dubitationem, quantumvis contra blateret & latret qualisque calumniator, laudare audemus tanquam plane piam & honestam. Neque multum curamus horrorem, quem ait Theologus noster sibi incuti ex dogmate adeo, ut dicit, absfono: *Solent enim plerumque calumniis suis homines malitiosi, ut dictis suis fidem concilient, pie-tatis zelum prætexere.*

X L I. Ex hac tenus disputatis luce meridiana clarius patet, quidquid hoc loco contra dubitationem de Divini Numinis existentia in medium produxit Adversarius, fuitiles tantum esse cavillationes & sophistificationes. Verum quia aliis in locis aliquoties, ut Philosophiæ Cartesianæ odium conciliare posset, eandem materiam attigit, & quia in hunc locum eorum examen rejectum est, operæ pretium erit videre, an illic melius se gesserit. Disputationis igitur Theologicæ secundæ thesi 6. ita fatur: *Qui Deum philosophandi Cartesium faciunt, late comprimis extendunt arcanum dubitationis, ad ipsam usque tremendi Numinis existentiam.* Etenim dubitatio super existentia Dei O. M. Cartesiana Scholæ discipulis egregie sanctum & pium & justum & honestum exercitium est,

est, modo referatur ad investigationem veritatis. Itaque si dubitatio Cartesiana talis est judicij suspensio, sive assensus retentio, quæ tamen omnino judicij suspensio, sive assensus retentio non est, verum prælibatio sententiarum adversarum, licet assensus sive judicio vacillante; manifestum est, arbitrio Viro Cel. sanctum & justum & pium & honestum exercitium esse, si quis assensu quodam prælibet hanc sententiam, Deum non existere. Mibi quidem, inquit, ad istiusmodi nagationum & opinionum portenta, quod sane dicis gratia non scribo, sed coram Deo protestor, horrore come arriguntur, idemque prius omnibus accidere, pensiculatius aliquanto negotium hoc introspicientibus, eisdem nullus ambigo. Respondeo 1°. quinam sint illi, qui Cartesium philosophandi Deum faciunt, fateor me ignorare, putidamque ejus columniam esse puto. Certe Cartesio non majorem esse fidem adhibendam propter ipsius auctoritatem, quam quibusvis aliis, semper judicavi, & etiamnum judico. Cæterum neque cuiquam vitio verti potest, si ipsi præ cæteris adhæreat, in quibus nimirum demonstrationum efficacia & evidentiæ iis superior est. 2°. Quam late dubitationem suam extendi voluerit, ipse satis explicit pluribus in locis, scilicet ad omnia, in quibus aliqua dubitandi ratio occurrit, si metaphysice certam scientiam velimus adipisci; & quidem adhibitis his cautelis, ne ad fidem, vel vitæ praxin extendatur. Excipiuntur quoque quæ vel per seæ, vel per demonstrationem menti sunt evidentiæ, quatenus scilicet & quamdiu sunt evidentiæ. Sed hac de re ipsum Cartesium audiamus Responsionibus ad secundas objectiones hunc in modum differenter. Exponam, inquit, hic iterum fundamentum cui omnis humana certitudo nisi posse mihi videtur. Imprimis statim atque aliquid à nobis recte percipi putamus, sponte nobis persuademus illud esse verum. Hæc autem persuasio si tam firma sit, ut nullam unquam possumus habere causam dubitandi de eo quod nobis ita persuademus, nihil est quod ulterius inquiremus, habemus omne quod cum ratione licet optare. Quid enim ad nos si forte quis singat illud ipsum, de cuius veritate tam firmiter sumus persuasi, Deo vel Angelo falsum apparere, atque ita absolute loquendo falsum esse? Quid curamus istam falsitatem absolutam, cum illam nullo modo credamus, nec vel minimum suspicemur; supponimus enim persuasionem tam firmam ut nullo modo tolli possit; quæ proinde persuasio idem plane est quod perfectissima certitudo. Sed dubitari potest an habeatur aliqua talis certitudo, sive firma, & immutabilis persuasio. Et quidem perspicuum est illam non haberi de iis quæ vel minimum obscure, aut confuse percipiuntur: hec enim qualiscunque obscuritas satis est causa ut de ipsis dubitemus. Non habetur etiam de iis quæ, quantum-

vis clare, solo sensu percipiuntur, quia saepe notavimus in sensu errorem posse reperiri, ut cum hydropicus sit, vel cum ictericus nivem videt ut flavam; non enim minus clare, & distincte illam sic videt, quam nos ut albam. Superest itaque ut si que habeatur, sit tantum de iis que clare ab intellectu percipiuntur. Ex his autem quedam sunt tam perspicua, simulque tam simplicia, ut nunquam possumus de iis cogitare quin vera esse credamus; ut quod ego dum cogito, existam; quod ea que semel facta sunt infecta esse non possint; & talia de quibus manifestum est hanc certitudinem haberi. Non possumus enim de iis dubitare nisi de ipsis cogitemus; sed non possumus de iisdem cogitare quin simul credamus esse vera, ut assumptum est, ergo non possumus de iis dubitare, quin simul credamus vera esse, hoc est non possumus dubitare. Nec obstat quod saepe simus experti alios deceptos fuisse in iis que sole clarior se scire putabant: neque enim unquam advertimus, vel ab ullo adverte potest, id contingere iis, qui claritatem suæ perceptionis à solo intellectu petierunt, sed iis tantum qui à sensibus, vel à falso aliquo præjudicio ipsam desumpserunt. Nec obstat etiam si quis fingat illa Deo, vel Angelo apparere falsa, quia evidenter nostræ perceptionis non permittet ut talia fingentem audiamus. Alia sunt que quidem etiam clarissime ab intellectu nostro percipiuntur, cum ad rationes ex quibus pendet eorum cognitio satis attendimus, atque ideo tunc temporis non possumus de iis dubitare; sed quia istarum rationum possumus obliisciri, & interim recordari conclusionum ex ipsis deductarum, queritur an de his conclusionibus habeatur etiam firma & immutabilis persuasio, quamdiu recordamur ipsas ab evidenter principiis fuisse deductas: hac enim recordatio supponi debet, ut dici possint conclusiones: & respondeo haberi quidem ab iis qui Deum sic norant ut intelligant fieri non posse quin facultas intelligendi ab eo ipsis data tendat in verum; non autem haberi ab aliis. Hocque in fine quinta Meditationis tam clare est explicatum, ut nihil hic addendum videatur.

3°. Quantum ad dubitationem de existentia Divini Numinis, quo sensu Cartesio illa dicatur pia & honesta, satis superque superius explicatum est, ita ut non opus sit verbum unum amplius addere. Ex superabundanti tanto noto Adversarium, cum dicit, *Cartesiane Scholæ discipulis dubitationem super existentia Dei O. M. egregie sanctum & pius & justum & honestum exercitium esse*, videri affingere ipsis quasi dubitationem ejusmodi extenderent ad fidem, vel vita praxin eamque absolute commendarent omnibus. Superius quoque satis refutatum est quod dicit de dubitatione, *qua sit talis judicii suspensio, sive assensus retentio, qua tamen omnino judicij suspensio sive retentio absens non est; verum pralibatio sententiarum adversarum, licet assensu, sive judicio va-*

cillante.

cillante. Quod porro inde concludat, *Manifestum esse, me arbitro, sanctum & justum & pium & honestum exercitium esse*, si quis assensu quodam prælibet hanc sententiam, Deum non existere, insulsissimum est. Nam, præterquam quod ad fidem vel vita proxim, cum agitur de philosophica dubitatione, ea non extendatur, non convenit etiam ut sæpius jam dictum est, ei qui certam existentia Divini Numinis cognitionem est assecutus: sed tantum isti inservire potest, uti ante vatum est, cuius mens ignorantiae tenebris adhuc obvelata, aliquam forte quidem de Dei existentia opinionem concepit, sed solidis evidenteribusque rationibus non fundatam, quique id animadvertisit, serioque desiderat certiorem sibi comparare cognitionem. Atque talē dicimus opus facere maxime pium & honestum, cum dubitatione utitur tanquam medio mentem à præjudiciis purgante, & ad inquisitionem exactæ certitudinis præparante. Neque ulla modo ex meis verbis deduci potest absolute loquendo sanctum &c. opus esse de Divini Numinis existentia dubitationem, ut est in se considerata hæsitation in medio, quia scilicet utrumque vel undique judicaveris æqualia vel præterpropter occurunt rationum pondera, & includit prælibationem aliquam rationum, quæ ab utraque parte forte occurunt, citra tamē determinatum judicium. Longe enim aliud est dubitationem considerare in se, ac eam considerare tanquam medium ad aliud quid acquirendum. Ita ut haec rursus vel stolida sit cavillatio, vel insulsa calumnia. Quoad cætera non protestationibus, sed argumentis pugnandum foret.

X L I I . Ejusdem furfuris sunt quæ eadem thesi aliquanto post occurunt: *Quandoquidem, inquit, Cartesius exortim dubitationem super existentia Dei commendat veluti piam, sanctam, & honestam; putandum, quofo, Cartesum hoc voluisse, piam, sanctam, & honestam esse inclinationem judicii, sive assensus, videlicet nunc in hanc sententiam; nempe Deum existere: nunc in illam; nempe Deum non existere?* Ejusdem calumniæ repetitionem hic instituit, quæ lectori eum præstare potest usum, ut genium ejus melius discat nosse. Ejusdem disputationis thesi 12. in fine æque feliciter calumniatur. *Cartesius, inquit, & Cartesiani laudant nominatim dubitationem super existentia Dei, veluti necessariam & utilem non modo, sed & apprime piam & honestam.* Nonne nosti miser te Deo dictorum tuorum aliquando rationem esse redditurum? Sed & quid porro dicat audiamus. *Me docere, ait, ex Cartesio non sufficere nudam dubitationem, id est, judicii suspensionem, sive cohibitionem assensus;*

etenim aliud quoque quippiam requiri, ne minus accurata sit veritatis investigatio. Quid ergo? Nempe quia teneris ab annis hæret sententia, Deum existere; in contrarium vertenda voluntas est: expectorandum atque delendum est prejudicium per contrarium judicium: oportetque uti nos ipsos fallamus: & opinionem illam aliquandiu fingamus omnino falsam esse & imaginariam: proque falsa habeamus, atque tanquam falsam rejiciamus. Uno verbo, tantisper dicendum corditus est, non est Deus. Hisce dictis cum magno boatu exclamat, O sanctam, & justam, & probam, & beatam, & numeris omnibus absolutissimam philosophandi methodum! O miracula sapiendi, quibus in mentem hæc talia venire potuerunt! O facetissima natura, nisi forte hallucinantis, oblectamenta! Ps. 14. 1. Uno verbo respondeo, quidquid homo maledicus hic effutus de abnegando Deo, nunquam à me vel dictum vel cogitatum esse. Videantur quæ retro disputata sunt de dubitatione, & de modo habendi dubiæ pro falsis. Hisce similia sunt, quæ alibi hac de re ineptissime deblaterat.

X L I I I . Paragrapho 28. Ferre non potest Adversarius, quod Cartesius in dubitatione distinguat, illud quod est intellectus, ab eo quod est voluntatis. Atqui scire, inquit, pervelim, quid in dubitatione ad intellectum pertinere queat, juxta Cartesii placita. cum enim dubitare illi sit judicium suspendere, sive assensum retinere, quid hic est quod intellectus vel posset vel audeat? Etenim ejus proculdubio facultatis est judicium suspendere, sive assensum retinere, cuius est assensum probere, sive judicare. Hac autem voluntatis, non intellectus esse, jubet Cartesius. An cavillandi & contradicendi studio, an vero ignorantiae, ex eo ortæ quod Cartesii scripta negligenter nimis legerit, hæc sit accepta ferenda objectio, haud facile divinaverim. Dubitatio Cartesio ad intellectum pertinet estque in intellectu, quatenus in eo existens ab eo percipitur. Et generaliter omnes mentis cogitationes, qualescumque illæ sint, sive à voluntate, sive ab externa aliqua causa in mente formentur, sunt intellectiones, sive perceptiones, quatenus sunt actus ejus, quorum sibi est conscientia: scire enim & cognoscere pertinet ad intellectum. Pueris ista nota sunt. Perceptiones nostræ, inquit Cartesius de Animi Passionibus, Parte 1. art. 19. sunt duarum specierum; & quadam animam pro causa habent, alia corpus. Ea que animam pro causa habent, sunt perceptiones nostrarum voluntatum, & omnium imaginationum aut aliarum cogitationum que ab ea pendent. Nam certum est nos non posse quidquam velle, quin percipiamus simul nos id velle. Et quamvis respectu anime nostra sit actio aliquid velle, potest etiam in illa dici esse passionem percipere id quod velit. Attamen quia hoc perceptio-

ceptio & hac voluntas revera idem sunt ; denominatio semper fit ab eo quod nobilis est , & sic non solet appellari paſſio , sed solummodo actio , &c. Hisce similia & alibi apud Cartesium legere est. Dubitatio itaque diverso respectu & ad voluntatem , & ad intellectum pertinet : ad voluntatem pertinet quatenus est mentis actio quæ ab ipsa in ipsa producitur libere : ad intellectum pertinet prout cum in mente producitur est ejus perceptio. Atque adeo intellectus dicitur dubitare de re aliqua , non formando dubitandi actum , hoc enim ad voluntatem pertinet , sed eum in ſeſe recipiendo & percipiendo. Illi qui credunt facultates intelligendi & volendi esse nescio quæ accidentia propria realiter tum inter ſeſe tum à mente diſtincta , jure merito tales movere poſſent diſſicultates : verum cum illæ ad eſſentiam mentis tanquam eſſentialies ejus proprietates pertineant , & ab ipsa atque inter ſeſe etiam tantum ratione diſtinguantur , uti alibi Cartesius demonſtravit , locum nullo modo habere poſſunt.

X L I V. Antequam à quaſtione illa de dubitatione ſuper eſtinen‐
tia Divini Numinis ad alia progrediamur , quia Adversarius fingit
Cartesium & Cartesianos absolute & indifferenter omnibus commen‐
dare & præcipere , tanquam pium & honestum , dubitandum eſſe de
eſtinentia ejus , vel etiam eam ad tempus eſſe negandam , utile erit ſi
ipſum Cartesium hac de re philofophantem audiamus. Isigitur in no‐
tis ad Programma circa finem monet ſe ab ea ſententia cum Medita‐
tiones ſcriberet fuſſe quam maxime alienum. Secundo , inquit , moneo ,
me nunquam etiam docuiſſe Deum eſſe negandum , vel ipſum nos poſſe decipere ,
vel de omnibus eſſe dubitandum , vel fidem omnem ſenſibus abrogandam , vel
ſomnum à vigilia non diſtinguendum , vel similia , quæ à calumniatoribus im‐
peritis aliquando mihi objecta ſunt ; ſed omnia iſta expreſſimis verbis reje‐
ciſſe , validiſiſque argumentis , imo etiam auſim addere , validioribus ,
quam ab ullo ante me refutata fuerint , refutaffe : quod ut commodius & effi‐
cacious præſtarem , proposui , initio Meditationum mearum , iſta omnia tan‐
quam dubia , qua non à me fuerunt primum inventa , ſed à Scepticis dudum
decantata. Quid autem iniquius , quam tribuere alicui Scriptori opinioneſ ,
quas eo fine tantum refert ut eas refutet ? Quid ineptius quam fingere , ſaltem
illo tempore , quo iſta falſa opinioneſ proponuntur & nondum refutantur , eas
doceri : atque ideo illam , qui refert Atheorum argumenta , eſſe Atheum tem‐
porarium ? Quid magis puerile , quam dicere , ſi moriatur interim priuſquam
ſperatam ſuam demonſtrationem ſcriperit vel invenerit , eum Atheum mori‐
turum , ipſumque in anteceduum perniuiſam doctrinam docuiſſe , non autem

esse facienda mala, ut eventiant bona, & talia? Dicit forte aliquis, me istas falsas opiniones non retulisse tanquam aliorum, sed tanquam meas: verum quid hoc refert? quandoquidem in eodem libro, in quo ipsas retuli, omnes refutavi; atque ex ipso libri titulo potuit intelligi, me ab iis credendis esse plane alienum, quandoquidem in eo demonstrationes de Dei existentia promittuntur. Estne aliquis adeo stolidus, ut existimet eum, qui talem librum componit, ignorare, dum primas ejus paginas exarat, quid in sequentibus demonstrandum suscepit? Objectiones tanquam meas proposui, quia hoc exigebat stylus meditationum, quem rationibus explicandis aptissimum judicavi. Neque cum hisce, uti manifestum est, pugnant, quæ citata Epistola 10. postea tradidit, cum dicit *eum*, qui dubitationem sibi proponit sicuti medium perveniendi ad clariorem cognitionem veritatis, quod maxime pium & honestum est agere. Aliud enim est dicere absolute dubitandum esse de Deo, vel præcipere & commendare dubitationem de Deo in se se consideratam tanquam opus pium & honestum; nempe ut ea confidetur tanquam finis: aliud est dicere, cum quis certis argumentis non est persuasus esse Deum, eum bonum opus facere, si, ut ignorantiae tenebras discutiat, dubitatione utatur tanquam medio ad certam cognitionem acquirendam necessario, modo superius explicato, ut scilicet nec ad fidem, nec ad praxin vita extendatur, sed tantum referatur ad veritatis inquisitionem: Sic enim proprie non præcipitur vel commendatur dubitatio, sed certitudo cognitionis existentiae Dei illi, qui hactenus eam non est assecutus. Apposite ad hanc rem dixit Claubergius de Dubitatione Cartesiana cap. 1. paragrapho 13. *Dubitatio nostra, inquit, actus tantum est preparatorius, solius veritatis indaganda gratia susceptus.* Jam autem Plato egregie dixit in Gorgia: quisquis aliquid alicujus gratia agit, non id vult quod agit, sed illud cuius gratia agit. Ex quo intelligimus, nos dubitando non velle dubitare, sed verum invenire & omne dubium excludentem certitudinem. Unde Censores nostri, dubitationem Philosophicam concoquere non valentes, similes omnino sunt illi coquo qui in eodem dialogo introducitur accusans medicum apud pueros, propterea quod eos usserit, secuerit, amarissimos iu potius prebuerit, respondentem medico: *hac quidem à pueri sanitatis vestra gratia feci.*

X L V. Paragrapho 29. Adversarius verba quædam allegat ex Claubergii paragrapho statim citato, sed admodum mutilata & distorta. Textum Claubergii, ut de eo melius judicare possimus, integrum hic dare est operæ præmium. *Si, inquit ille, dubitare, judicium suspendere, quarere, ambigere diceremus esse actus principales Philosophi, merito*

merito tanquam Sceptici exagitaremur, utpote qui hoc unum agunt ut dubitent, ac semper querunt ut nunquam inveniant. At nostra Philosophia actus principales sunt de clare distincteque perceptis judicare, atque ita verum invenire, demonstrare, docere. Sed quia non possumus primo statim intuitu res majoris momenti (nam tales considerat Philosophia) ita percipere, uti proxime antecedentibus articulis ostensum fuit: ideo necessario mora adhibenda est in inquirendo & examinando eo quod proponitur. Itaque stamus ad rem attenti, difficultates omnes circumspicimus, argumenta in utramque partem ventilamus, donec veram ac certam sententiam inveniamus, observantes illud Baldi Jurisconsulti: eum ferro aperire viam qui per contraria vadit. Quare dubitatio nostra actus tantum est preparatorius, solius veritatis indaganda gratia susceptus. Ex ejusdem capitinis paragrapho 15. hæc quoque allegat verba: *Omnis nostra dubitatio ratione suffulta, imo nihil aliud est, quam nuda, hoc est, sine assensu aut dissensu consideratio rationum dubitandi, sive causarum propter quas dubitare possumus, quamdiu non habemus indubitate verae scientie fundamenta.* Ex paragrapho item 32. sequentia. *Dubitatio nostra generalis nihil aliud est, quam universalis quadam recognitio eorum que in eunte aetate & juvenilium annorum tempore judicavimus, ut animadverentes, qua recte judicata, quia secus, alia quidem assumamus in philosophando, alia rejiciamus.* Quis credit vel ipsum Momum hic quippam invenire posse, quod carpat? Nostro tamen homini visa sunt ridicula. *Ad istiusmodi, inquit, philosophationem quis non rideat?* Enimvero justis lancibus examinanti momenta rerum immane discriben apparebit inter dubitationem, sive alternationem, vel retentionem assensus: & investigationem veritatis, & rationum dubitandi considerationem, atque recognitionem sive lustrationem argumentorum. Fieri quidem potest, ut forte dubitantes ad exquisitionem veritatis animum applicent: nec non dubitandi rationes examinent: iidemque post cognitam aliquo saltu usque veritatem argumentorum pondera subinde secum revolvant, quo firmiore sapientia sapientia. Sed & fieri potest, ut forte dubitantes volupe habeant, sive desperata, sive contemplativa veritate, otiosi desiderare. Ceterum lustratio rationum sive recognitio dubitationem sive suspensionem judicij necessario non arguit. Quid enim vetat quominus, qui veritatem callet penitissime rationum lustratione sive recognitione, quibus nempe veritas innititur, citra dubitationem ullam, quoties lubitum fuerit, animum oblectet suum? Aliquanto melius atque tolerabilius hypothesis vel sua vel Cartesianæ servivisset Claubergius, nisi fallor, si dixisset, dubitationem esse suspensionem judicij veritatis investigatione comitatam, atque consideratione difficultatum, & vero, si res ita fert, subinde rationum

etiam lustratione. Ac licet concedat Platoni , Aristoteli , ejusque sectatoribus alicubi cum illa extensione dubitationem fuisse dictam ; & de Pyrrhonis Academicisque fateatur rem omnino manifestam esse ; negat tamen Claubergio integrum fuisse sic instituere ; utpote qui dubitationem Cartesianam dixerit esse , principium Philosophiae tantummodo privationis , non constitutio- nis ; atque terminum à quo , qui relinquuntur debeat . Atque inde concludit manifestum esse , non posse intra dubitationis ambitum ullo modo comprehen- di , sive veritatis investigationem , sive considerationem difficultatum , sive lu- strationem rationum ; quia scilicet illa non sunt privatio , vel terminus à quo qui relinquuntur debeat : sed via per quam contendimus ad sapientiam , & lustratio rationum , utpote post insignem retro profectum , aliquid etiam sub- limius augustinusque obtinet . Quis non videt hæc omnia paedagogum sapere , cui solempne est nodum in scirpo querere , & futiles instituere cavillationes . Quid si enim Claubergius duris quibusdam loquendi modis esset usus ; cum satis tamen intelligi posset quid voluerit , & ex Scriptoris intentione de ejus mente sit judicandum ; an illud mere- retur censuram ? Sed proprius aliquanto inspiciendum est , quomodo probet cavillator immane discrimen inter dubitationem , & investigationem veritatis , & rationum dubitandi considerationem , atque recognitionem sive lustrationem argumentorum . An ex eo quod fieri quidem possit ut dubitantes ad illos actus se applicent , sed & fieri possit ut voluppe habeant , sive desperata , sive contempta veritate otiosi sedere ? Verum id ad rem praesentem nihil facit . Dubitare enim dubitationem Cartesianam non is dici potest , qui ita dubitare statuit ut otiosus sedeat , pedem ulterius non promovendo ; sed qui , cum veritatis & cognitionis amore tenetur , & animadvertisit mentem suam multis præjudiciis occupatam , quibus fidere non est tutum , dubita- tionem refert ad finem sibi propositum , in eaque tam diu persevera- re statuit , donec , rationes dubitandi examinando , & argumenta qui- bus ante fidem habuit recognoscendo & lustrando ; quæque solida deprehendit resumendo , alia vero rejiciendo ; denique nova investi- gando , finem optatum obtinet . Eam esse Claubergii mentem ex al- legatis hisce ipsis textibus est evidentissimum . An vero ex eo imma- ne illud discrimen apparet , quod lustratio rationum sive recognitio du- bitationem sive suspensionem judicij necessario non arguat ; quia qui veri- tatem jam callet penitissime rationum lustratione potest quandoque animum suum oblectare ? Sed neque istud ad rem facit . Claubergius enim tan- tum agit de recognitione sive lustratione eorum quæ incunte ætate &

juvenilium annorum tempore judicavimus, quæque tum ad rationis lumen legitime non fuerunt examinata, ita ut multa falsa veris fuerint permixta, quæ citra novum examen admittenda non sunt. Siccine egregius nugator ostendit illud immane quod clamabat discrimen inter hæc; cum in omnibus quæ adduxit ad id probandum, saltem haec tenus, extra oleas vagatus sit, & quæstionem non tetigerit? Sed aliquanto melius dixisset Claubergius, dubitationem esse suspensionem judicii veritatis investigatione comitatam, atque consideratione difficultatum, & subinde lustratione rationum. Quid si daretur te evicisse Claubergium minus accurate locutum esse, cum cæteroquin de mente ejus satis constaret? Censeresne tibi triumphum decernendum esse? Et cur hoc uno verbo non potuisset esse indicatum? sic enim adeo pueriliter te non prostituisses in antecedentibus. Sed nec video etiam cur sub ambitu dubitationis non possint imo debeat comprehendendi omnes illi actus qui inter dubitandum exercentur, quique ita intime cum ea coaluere, ut sine iis dubitatio non sit talis, qualis à Cartesio, uti ante visum est, requiritur? Sed si Claubergius vere & accurate pronunciarerit antea dubitationem esse principium Philosophia tantummodo privationis (Non ita Claubergius locutus est; sed esse solum principium Philosophiæ generationis, uti privatio illa Physica), non constitutionis: atque terminum à quo, qui relinqui debeat; veritatis inquisitio, consideratio difficultatum, & lustratio rationum intra dubitationis ambitum non posse sunt comprehendendi, quia illa non sunt privatio vel terminus à quo qui relinqui debeat. Nugæ. Quasi vero cognitione acquisita non cesset inquisitio, & lustratio rationum de qua loquitur Claubergius. Sed inquisitio, & difficultatum consideratio sunt via per quam tendimus ad sapientiam, & rationum lustratio aliquid etiam sublimius augustinusque est. Quasi vero in via maneamus confecto itinere. Quid etiam lustratione rationum hic intelligatur statim dictum; unde patet eam post certam cognitionem acquisitam locum amplius non habere.

X L VI. Claubergius ejusdem capituli paragrapho 20. decimam quintam defensionem imo commendationem dubitationis Cartesiana desumit ex insigni usu quem consert Philosophia studiosis, qui in Scholis ad vitam civilem & officia politica preparantur. Dum enim, inquit, nostra philosophandi rationi assuecant, precipitantiam in judicando omnem cane pejus & angue cavere discunt, prudentes & circumspecti evadunt, non proclives sunt ad cito judicandum; multo minus inaudita causa, ut nostri censure, ad dannandum properant. Adversarius, paragrapho 30. præmissis solitis scom-
mati-

matibus & scurrilibus dicteris, *unicum sibi scrupulum herere ait. Ni-*
mirum, cum Cartesius & ex eo Claubergius negent dubitationem suam ad
vita praxin, sive ad res in vita agendas spectare; sed tantum esse ad verita-
tis contemplationem extendendam velint, quod allegatis etiam in eum fi-
nem textibus probat, scire se velle ait, quinam ea dubitatio, quæ tan-
tummodo locum habet in speculatione, ceterum ad pietatem, ad mores, ad
praxin, ad officia civilia nihil plane pertinet, quamque ad actiones vita nefas
omnino sit pretendere, usque adeo prudentes & circumspectos efficere valeat?
Hæc sane est philosophatio tanto auctore digna: ne dicam esse ini-
quissimam sententiæ Cartesii & Claubergii interpretationem. An non
ea quæ ad pietatem, ad mores, ad praxin, ad officia civilia per-
tinent suam quoque habent speculationem & veritatem, quæ Philoso-
*pho inquirenda venit, cujusque investigatio non minus, imo plerum-
que multo magis, est necessaria, quam aliarum rerum? Neque late-
re potuit Adversarium in ea mente esse Cartesium, utpote quem pa-
rrapho sequente 40. hoc modo dissertatione de Methodo differen-
tem introducit. Tres regulæ morales scilicet mox exposita satis recte mihi
visæ non fuissent, nisi in veritate per hanc methodum investiganda perseverare
decrevissem. Nam cum Deus unicuique nostrum aliquod rationis lumen lar-
gitus sit ad verum à falso distinguendum, non putasssem me, vel per unum diem,
totum alienis opinionibus regendum tradere debere, nisi statuisse easdem pro-
prio ingenio examinare, statim atque me ad hoc recte faciendum satis para-
sem. Nec quamdiu illas sequebar, absque errandi metu fuisset, nisi speras-
sem me nullam interim occasionem, meliores, si quæ essent, inveniendi præter-
missurum. Cum ergo Cartesius & ex eo Claubergius negant dubitationem ad vita praxin esse extendendam, non negant dubitationem
extendendam esse ad contemplationem & disquisitionem eorum, quæ
bona & mala sunt, quæ facienda & omittenda, sed hoc volunt in vi-
ta actionibus non semper expectandum esse, donec omnia dubia &
scrupuli sint sublati; ita ut interim desides simus & otiosi nihil agen-
tes; rationemque hanc allegant, quia alias rerum agendarum occasio
sæpe præteriret, antequam nos dubiis exsolvissemus. Exempli gratia
latro armatus in via è longinquò occurrit, omnia mala minatur. Si
quis in illis circumstantiis constituto sensuum incertitudinem, vel so-
nniorum ludibria, aliasve dubitandi rationes, objiceret, ut vel fu-
gam vel defensionis media dissuaderet; eum non esse audiendum do-
cent, neque esse expectandum donec disceptatio, ea de re esset abso-
luta: quia interim fugiendi, vel defensioni se parandi occasio præter-
*iret.**

iret. Similiter in aliis se res habet. Quis sanæ mentis ista culpanda esse dicet? Paragr. 31. eidem hypothesi pravae expositionis sententiae Cartesii & Claubergii insistens similes chymæras fingit bombinantes in vacuo.

X L V I I. Ejusdem capitinis paragrapho 17. Claubergius dubitationem Cartesianam defendit ex eo, *quod sit brevis, nec ulla dubia proferantur, quin eodem tractatu solvantur illico, & refutentur.* Regerit autem Adversarius paragrapho 32. dubitationem diverso respectu brevem aut longam dici posse. Sic, inquit, *novennali ex. gr. Cartesii dubitatio quam tractatu de methodo commemorat brevis utique dicenda est, si comparetur ad perpetuam Epheticorum dubitationem. Sed & longa eadem fuit, si comparetur ad illam dubitationem, quam ipse commendat Resp. ad sec. obj.* Cartesius autem ibi dicit, *se velle uti lectores non modo breve illud tempus, quod ad primam meditationem, in qua scilicet agit de dubitatione, evolventam requiritur; sed menses aliquot, vel saltem hebdomadas, in iis de quibus tractat, considerandis, impenderent; antequam ad reliqua progrederentur.* Post hæc sarcasmis & scurrilibus exclamationibus insecatatur Cartesii dubitationem. Ac tandem in fine paragraphi notat, *spacium temporis, intra quod absolvenda sit dubitatio, quippe comperta scilicet veritate, determinari promiscue non posse. Nempe, inquit, intanta disparitate ingeniorum stultissimum fuerit sperare, ut omnes æque feliciter dubitent. Neque unquam deerunt, qui necesse habebunt animum suum dubitandi molestia bene longa macerare, uti tantundem solidæ scientiæ conquirant, atque non paucis aliis contigit post brevem dubitationem.* Nunquam hominibus rixosis verba derunt. Cartesius dissertatione de Methodo historice narrat, quod, postquam se certis quibusdam methodi illius quam investigaverat regulis, tum ad moralem, tum ad alias Philosophicas scientias spectantes, de quibus ante egerat, instruxisset, non dubitaverit quin sibi liceret, quantum ad reliqua quibus olim fuerat imbutus, omnia ex animo suo delere: quodque, cum illud commodius sibi videbatur præstare posse inter homines conversando, quam in illa solitudine, in qua tunc erat, diutius commorando, se se rursum ad peregrinandum accinxerit: nec per infrequentes novem annos aliud egerit, quam ut hac illac orbem terrarum perambulando, spectatorem potius quam actorem Comœdiarum, quæ in eo quotidie exhibentur, se præberet. Cumque præcipue circa res singulas observaret quidnam posset in dubium revocari, & quidnam nobis occasio-
nem male judicandi præberet, se omnes paulatim opiniones erro-
neas, quibus mens sua obsessa erat, avulsisse. Nec tamen in eo se Sce-

pticos imitari , qui dubitant tantum ut dubitent , & præter incertitudinem ipsam nihil querunt . Nam contra se totum in eo fuisse protestatur ut aliquid certi reperiret : & quemadmodum fieri solet , cum in arenoso solo ædificatur , tam alte fodere se cupuisse , ut tandem ad faxum vel ad argillam perveniret : atque hoc satis feliciter sibi succedere visum esse . Nam cum ad falsitatem vel incertitudinem propositionum , quas examinabat , detegendam , non vagis tantum & dubibus conjecturis , sed firmis & evidentibus argumentis uti conaretur , nullam tam dubiam occurrisse , quin ex ea aliquid certi colligeret ; nempe vel hoc ipsum , nihil in ea esse certi . Et sicut veterem dominum diruentes multam ex ea materiam servant novæ extruendæ idoneam ; ita male fundatas opiniones suas dejiciendo , varias se res observasse , & multa experimenta collegisse , quæ postea certioribus stabilendi usui sibi fuere . Ac præterea se perrexisse semper ait in ea quam sibi præscripserat methodo exercenda ; nec se tantummodo generaliter omnes suas cogitationes juxta ejus præcepta regere studuisse , sed etiam nonnullas interdum horas sibi assulmissem , quibus illa expressius in quæstionibus mathematicis resolvendis utebatur ; veletiam in quæstionibus ad alias quidem scientias pertinentibus , sed quas ab eorum non satis firmis fundamentis abducebat , ut propemodum mathematicæ dici possent : id satis appariturum se fecisse in multis quæ in hoc volumine continentur . Veruntamen novem illos annos effluxisse narrat antequam de ulla ex iis quæstionibus , quæ apud eruditos in controversiam adduci solent , determinate judicare , atque aliqua in Philosophia principia vulgaribus certiora querere ausus fuisset . Judicet , Quæso , lector num hæc novennalis , quam adeo eo nomine exagitat Scurra , dubitatio non sit maxime laudanda ; & num tempus interim inutiliter triverit Cartesius : præfertim si considereremus quam concinne & accurate postea huic suæ methodo insistens Metaphysicæ & Physicæ systemata ædificaverit , quæque , vel ipsa invidia ringente , æternitatem spectabant . Quantum ad me , summopere mihi gratulor , quod talem præceptorem habeam monstrantem viam : ita ut laboribus , quos ille impendit , parcere possim , iisque frui liceat , modo exiguum temporis spatiū impendere lubeat istorum meditationibus , quæ ille orbi litterato communicare non est dignatus . Sint alii aliis hac in re feliciores : alii longius temporis intervallum requirant præ aliis ad se ex dubiis extricandum . Sint qui methodum hanc sectari aspernentur , quid istud ad rem facit .

X L V I I I. Claubergius ibidem paragrapho 26. decimam nonam Cartesianæ dubitationis defensionem esse ait, *Quod non proferamus dubitationes à nobis primum inventas atque excogitatas, quasi tanto dubitatum desiderio teneremur, ut eas ultro multiplicare studeamus (cum unice verum scire optamus) sed dudum à Scepticis decantatas, & quas praterire Philosophus non potest ex lege logica, quod, antequam adversarii sententiam ut falsam damnemus, audire oporteat omnia ipsius argumenta præcipua, neque ullum eorum robur disimulare.* Noster homo istæc perquam timide, quin & præter omnem rationem dicta arbitratur. *Quanto, inquit, rectius & cordatus Aristoteles?* Cujus hac verba sunt lib. 3. Met. c. 1. Necessum est ad scientiam, que queritur, ea primum percurrere, de quibus in antecessum dubitare oportet. Hæc autem sunt, & quæcunque de iis aliter quidam existimarunt, & si quid ultra hac prætermissem sit. Quid enim, inquit porro, si tardiores adversarii gravioribus forte difficultatibus non animadversis, imbellia tela jecerint? Anne licitum non erit illas exigere, considerare, examini denique subjicere? saltē quo gloriōsius etiam triumphet veritas? Claubergius exertim hanc defensionem instituit contra eos, qui Cartesium & Cartesianos accusare vellent, tanquam litigiosos nimium & disputaces: utpote qui usque affectant ex se se movere dubia & difficultates, easque temere multiplicant: atque eapropter merito se odiosos reddunt. Quænam quæso hic subest timiditas? Quidnam est quod Aristoteles vel rectius vel cordatus statuerit? Quantum ad imbellia tela à tardioribus adversariis jaçtari consueta, si illa particulatim recenseri deberent, quis tandem foret finis? Ut Scientiarum fundamenta solida jaciantur sufficere merito putat Cartesius, si summa dubitationum & difficultatum capita recensentur, ad quæ quidquid præterea particulare est referri potest; ac talia excogitentur principia, ex quibus omnibus satisfieri potest.

X L I X. Ejusdem capitinis paragrapho 14. Claubergius, cum in Catechesibus per modum questionum & responsionum res fidei tractantur, dicit in illis nihil judicari aut concludi antequam præcesserit questio. Questionem autem à conclusione non aliter differre quam dubium quid à certo, ut omnes logici tradunt, unde etiam adverbia dubitationem significantia an, num, utrum, &c. questionibus prafiguntur. Ac porro addit, non solum dubitationes proponere Catechismum: sed etiam rationes dubitandi: exempli gratia, querit de justitia Dei in ordine ad hominem; An non Deus homini injuriam facit? Rationem dubitandi adjicit, qui ab eo in lege flagitet, que præstare non queat. Post confuetas exclamaciones scurriles para-

pho 34. rogit Cavillator, *An tantus Philosophus inter questionem logice dictam, & inter questionem rhetorice dictam vel grammaticae distinguere non potuerit? &c.* Sed plane praeter rem. Illud queritur, an, cum per formam quæstionum & responsionum aliquid tractatur, quæstio non contineat illud de quo inquirendum statuitur, & de quo suspendendum est judicium, donec examen est factum & conclusum? Quod sit in responsione demum. Istud autem per se est manifestum. Reliquam de nomine quæstionem quam instituit, utpote ad rem non pertinentem, particularius examinare non lubet. Illud unicum modo examinandum hic occurrit. Nempe Claubergius dixerat cap. 2. paragr. 7. *questionem non semper arguere dubitationem in ipso quarente: sed vel in hoc, vel in respondente, vel in circumstantibus, vel in aliis, propter quos questio proponitur: ita quidem ut questio omnis sua natura sit dubitatio, quamvis non semper sit in proponente, sufficit enim ut in alio quocunque sit, vel esse posse.* Hæc Nugatori huic mirifica dicta videntur. Cum, inquit, *Questio & dubitatio, Quærere & dubitare Claubergio idem sint; verba hec nihil aliud possunt significare, juxta dictionarium Claubergii, quam dubitationem non semper arguere dubitationem in ipso dubitante, sed vel in hoc, queren- te videlicet seu dubitante, vel in aliis quibusdam, utique non quarentibus, id est non dubitantibus; nimirum vel in respondente, vel in circumstantibus, vel quicunque sint propter quos questio proponitur, &c.* Non credo huic homini parem ullum inventum iri, si vel totum terrarum orbem perambules, in cavillandi & ineptiendi palestra. Imo sane, mi homo, quæstio & dubitatio idem valent, sive illa considerentur prout in animo sunt, sive considerentur ut sunt in externa oratione. Quid enim est quæstio quam quis sibi format in animo suo aliud, quam propositio quam sibi ad ventilandum proponit? Quis non novit eum, antequam sufficiens examen est institutum & conclusum, de ejus veritate dubitare sive judicium suspendere? Coincidunt igitur quæstio & dubitatio. Si quis etiam apud se se quæstionem formet in animo, de cuius veritate ipse persuasus est, sed in eum finem ut aliis proponat: eatum non consideratur ejus respectu tanquam quæstio sive propositio ad ventilandum sibimet ipsi proposita; sed tantum ratione eorum quibus illam proponere intendit ad ventilandum; atque ita etiam respectu illius, ut propositio talis non est quæstio, ita quoque non est dubitatio. Si vero quæstio & dubitatio considerentur prout sunt in externa oratione, manifestum non minus est quæstionem cum dubitatione coincidere. Quid enim est quæstio ita considerata aliud, quam

propositio externe prolatæ & ad ventilandum proposita? Quid autem certius, quam talem propositionem considerari tanquam dubiam, non quidem semper respectu ejus, qui eam proponit, ille enim persuasus esse potest, sed respectu aliorum in quorum gratiam proponitur, quique de ejus veritate nondum sunt persuasi? Rursus igitur quæstio eo sensu sumpta & propositio dubia, sive dubitatio externa coincidunt. Quia vero noster hæc vel distinguere non potuit, vel noluit, ut haberet quod cavillaretur, tam turpiter se se deridendum præbet.

L. Paragrapho item 25. *Decima octava*, inquit Claubergius, *dæfensio est, qua speciatim asserimus dubitationem nostram, utpote mere philosophicam, ad res fidei & religionis, verbi gratia an detur S. Scriptura? an ei tanquam divina credendum? &c. neutiquam pertinere: sed tantum ad res quæ ex naturæ lumine cognoscuntur in Philosophia.* Sed idem quoque paragraphis 23. & 24. antea dixerat, *dubitatem ad contemplationem rerum, non vero ad res in vita agendas spectare.* Adversarius, cum hæc paragrapho 35. allegasset, *miratur plane Claubergium usque adeo parum sibi constare.* Nam, inquit, si dubitatio, quam tanto molimine tueretur, ad res fidei & religionis neutiquam pertinet; *quare questiones catecheticas tam prolixe tamque procaciter objicit, quasi toidem dubitationes?* Vel quare verbulo saltem non indicavit sibi non placere methodum illam discendi docendique res fidei, sive sinceram religionem, per alternas questiones & responsiones? *Quare paragrapho 20. Gallum Theologum laudat? pronunciantem debere suspectam esse fidem illius, qui recipit Evangelium facili & precipitato assensu; metuendumque ne credulitas ea sit potius, quam fides.* *Quare Perkinsius citat paragrapho 38. monentem haberi pro comperto debere, quod ille, qui de salute sua nunquam dubitavit, nunquam credidit, &c.* Hic procul dubio se putat hominem jugulasse. Sed ne extremam quidem ejus cuticulam tetigit. Nimirum Cartesius in omnibus cavit sedulo ne se controversiis Theologicis immisceret. Noluit Theologis occasionem dare vel minimam, propter quam ipsum ad suum tribunal possent vocare, & accusare. Atque ita noluit etiam, ut crederetur ipsum dubitationem latius extendere, quam ad res philosophicas, eo quo retrodictum est modo: & propterea sæpe monet se negare eam ad res fidei spectare. Istud ex mente Cartesii refert Claubergius. Sed notandum est ulterius duas has esse distinctas quæstiones; una, *An methodus qua à dubitatione initium sumit in rebus philosophicis sit legitima?* Altera, *An eadem methodus in rebus fidei & religionis valeat?* Cartesius intra prioris

cancellos se continere voluit , atque ita negavit methodum istis limitibus finitam ad res fidei vel religionis esse extendendam. Et quid si forte , cum Pontificius esset , revera credidisset articulos fidei sive religionis ab Ecclesiæ auctoritate pendere , & statim esse recipiendos , cum proponuntur , sine ullo examine instituto ? Quid istud ad rem faceret ? Claubergius vero ab Ecclesiæ Pontificiæ jugo liber majori libertate usus est , Exemplisque & testimonii ostendit , quantum ad secundam quæstionem , methodum illam non esse culpandam : ac contra Theologos quos refutat argumentatus est à majori ad minus. Nulla igitur hic est contrarietas. Porro quomodo dubitatio ad solam contemplationem veritatis , non vero ad res in vita agendas , spectet , superius satis est explicatum , paragrapho nimirum 46.

L I. Paragrapho 36. Adverarius plane mirari se , ait , sive timiditatem , sive nimiam Cartesii modestiam & plus quam virginalem , qui res fidei , quæque mores & pietatem spectant , ita longe longeque protelaverit extra pomæria dubitationis. Etenim , inquit , si dubitare nihil aliud est , quam assensum retinere donec veritas liqueat , judicium non præcipitare , temere non definire ; hæcne , quoſo , locum circa res fidei non habent ? Anne , inquam , circa res fidei præcipitandum est judicium , definiendum temere , ferenda sententia , priusquam liqueat veritas ? Et paulo post : Super hisce igitur , inquit , quæ mores , quæque pietatem spectant , assensum prodigere , licet veritate non admodum perfecta , nihil omnino vetat ipso scilicet judice. Quantum ad primum , si legat quæ ad præcedentem paragraphum dicta sunt forte mirari desinet. Quantum etiam ad secundum , quandoquidem de eo actum est ad paragraphum 46. & Cavillatori nostro lubitum est super hisce in sequentibus sensa Cartesii aliquanto propius expendere , nihil hic amplius addam :

L II. Cartesius , inquit , Dissertatione de Methodo narrat , qualem Ethicam sibi , sed ad tempus , effinxerit , que tribus tantum quatuorve regulis continetur. Ita est , & quænam ad id faciendum ipsum impulerit ratio ipse ibidem exponit his verbis. Ut illi , inquit , qui novam domum , in locum ejus quam inhabitant volunt extruere , non modo veterem prius evertunt , lapides , ligna , cementum , aliaque adificanti utilia sibi comparant , Architectum consulunt , vel ipsimet se in Architectura exercent & exemplar domus facienda accurate describunt ; sed etiam aliam aliquam sibi parant , quam interim dum illa adificabitur possint non incommode habitare : sic ne dubius & anxius hærem circa ea , que mihi erant agenda , quamdiu ratio suaderet incertum esse circa ea de quibus debebam judicare ; atque ut ab illo tempore vivere inciperem

rem quam felicissime fieri posset, Ethicam quandam ad tempus mihi effinxī, quæ tribus tantum aut quatuor regulis continebatur. Non igitur temere opus illud aggressus est. Porro Prima, inquit Cartesius, regula erat, ut legibus atque institutis patriæ obtemperarem, firmiterque illam religionem retinerem quam optimam judicabam, & in qua Dei beneficio fueram ab ineunte etate institutus; atque me in ceteris omnibus gubernarem juxta opiniones quam maxime moderatas, atque ab omni extremitate, remotas, quæ communī usū recepta essent apud prudentissimos eorum cum quibus mihi esset vivendum. Cum enim jam inde inciperem omnibus iis quibus ante addictus fueram diffidere; utpote quas de integro examinare deliberabam; certus eram nihil melius me facere posse, quam si interea temporis prudentiorum actiones imitarer. Et quamvis forte nonnulli sint apud Persas aut Sinas non minus prudentes quam apud nos, utilius tamen judicabam illos sequi cum quibus mihi erat vivendum: atque ut rectè intelligerem, quidnam revera illi optimum esse sentirent; ad ea potius que agebant, quam ad ea que loquebantur attendebam: non modo quia hominum mores eo usque corrupti sunt, ut per pauci quid sentiant dicere velint, sed etiam quia permulti sèpè ipsimet ignorant: est enim alia actio mentis per quam aliquid bonum vel malum esse judicamus, & alia per quam nos ita judicasse agnoscimus; atque una sèpè sime absque altera reputitur. Ex pluribus autem sententiis equaliter usū receptis moderatisimas semper eligebam, tum quia ad executionem facillimæ, atque ut plurimum optimæ sunt; omne quippe nimium vitiostum esse solet; tum etiam, ut si forte aberrarem, minus saltem à recta via deflecterem medium tenendo, quam si unam ex extremis elegisset cum altera fuisse sequenda. Et quidem inter extremas vias, sive (ut ita loquar inter nimietates, reponebam promissiones omnes quibus nobismet ipsis libertatem mutande postea voluntatis adimimus. Non quod improbarem leges quæ humanae fragilitati atque inconstantiæ subvenientes, quoties bonum aliquod propositum habemus, permittunt ut nos ad semper in eodem perseverandum voto astringamus; vel etiam quæ ob fidem commer- ciorum quacunque aliis promisimus, modo ne bonis moribus adversentur, con- gunt nos præstare. Sed quia videbam nihil esse in mundo quod semper in eodem statu permaneret, quantumque ad me, vitam sic instituebam ut judicia mea indies meliora, nunquam autem deteriora fore sperarem; graviter me in bo- nam mentem peccare putasse, si ex eo quod tunc res quasdam ut bonas am- plectebam, obligasset me ad easdem etiam postea amplectendas, cum forsitan bona esse desissem, vel ipse non amplius bonas judicarem. Antequam secun- dam exhibeam regulam, quid contra hanc Adversarius objiciat vi- dere est opera prætium. Is igitur paragrapho 38. sic infit. *Enimvero*

laudabilis est obtemperatio, qua præstatur institutis patriæ; modo aqua sint & pia, vel saltem iniqua & impia non sint. Sed qui sine prævio examine apud animum suum institutis patriæ promiscuum adstringit obsequium, postea deum, si forte, investigaturus, quid non faceret si natus esset inter Mexicanos, aut Calecuthenses, vel Antropophagos? Quid hæc ad Cartesium? Illene vel hic vel alibi statuit institutis patriæ obtemperandum esse quæ cognoscuntur esse iniqua & impia? Vel sine ullo prævio examine apud animum suum iis promiscuum adstringendum esse obsequium? Nimium pellucet ista calumnia. Aliud esse Cartesii institutum passim apud ipsum videre est. Unicum instar omnium sit quod immediate tertia regula subjungit. *Nihil, inquit, inveni, quod pro me ipso melius videretur, quam si in eodem instituto in quo tunc eram perseverarem; hoc est, quam si totum vita tempus in ratione mea excolenda, atque in veritate juxta methodum quam mihi præscripseram investiganda consumerem.* Tales quippe fructus hujus methodi jam degustaram, ut nec suaviores ullos nec magis innocuos in hac vita decerpī posse arbitrarer; cumque illius ope quotidie aliquid detegerem, quod & vulgo ignotum & alicujus momenti esse existimabam, tanta delectatione animus meus implebatur, ut nullis aliis rebus affici posset. Ac præterea tres regula mox exposita satis recte mibi visæ non fuissent, nisi in veritate per hanc methodum investiganda perseverare decrevissem. Nam cum Deus unicuique nostrum, aliquod rationis lumen largitus sit ad verum à falso distinguendum, non putassem me, vel per unam diem, totum alienis opinionibus regendum tradere, nisi statuisse easdem proprio ingenio examinare, statim atque me ad hoc recte faciendum satis parassem. Nec quandiu illas sequebar, absque errandi metu fuisset, nisi sperasset, me nullam interim occasionem, meliores si quæ essent inveniendi, prætermisurum. Statuit igitur Cartesius suique officii esse putavit, continuo pergere in inquirendo quid bonum quid malum sit per rationis lumen sibi concessum, neque unquam ab isto instituto desistere, semperque sequi quod optimum esse judicaverit: atque adeo si forte comperebit patriæ instituta quædam esse iniqua & impia iis non obtemperare amplius. Pergit Adversarius, *Verum enimvero de puritate nisi plurimum fallor, & sinceritate religionis ante res omnes alias inquirendum diligentissime fuit, &c.* Verissimum illud esse constat. Cartesium quoque Pontificiæ sectæ adhæsisse notum est, cuius discipuli plus æquo tribuere solent Ecclesiæ auctoritati, ejusque determinationibus. An autem unquam serio satis, uti oportuit, apud animum suum statuerit de ejus veritate inquirere, & an errores suos hac in re correxerit, Deo jucundum

dicium relinquendum est. Atque utinam inter nos non plurimi quoque reperirentur, etiam inter eos, qui vel maximi Zelotæ haberi volunt, qui non minus quam Pontifici cæco impetu, sine justa inquisitione, suam colerent religionem, soli Pastorum suorum auctoritatibus fidentes.

L I I I . Plane fas est, inquit porro Adversarius, *uti prudentissimum hominum opiniones aliquo loco habeantur.* Sed cum longe certissimum sit alicubi prudentissimos etiam quosque tota errare via posse, manifestum est, quascunque prudentium opiniones ad soliditatem constantiamque virtutis haud quaquam sufficere. Neque res de auctoritate hominum, sed contra de rerum testimonio auctoritas hominum estimatur. Conceditur totum: Cartesius enim prudentium opiniones & mores nunquam statuit sequi, nisi quamdiu & quatenus meliora non est edoctus, nunquamque decrevit ullam occasionem prætermittere in iis quæ bona vel mala sunt proprio marte examinandis, & ex rationis lumine investigandis; uti ex superiori allegatis prolixè & manifeste patet. Non itaque etiam voluit ad soliditatem & constantiam virtutis prudentium opiniones sufficere. Vel igitur calumniatur hic rursus, vel cum umbra sua pugnat homo rixosus. Porro si non licet sequi prudentium opiniones, donec ipsi melius simus, investigando assiduo, edocti; Quid in tali statu constitutis faciendum est? Non enim licet esse otiosis; neque momento temporis inquisitio absolvit potest. An vero potius imprudentiorum decreta sequenda erunt? Hoc, uti opinor, nemo sapiens dixerit. Deinde si Cartesius hic peccaverit, peccabunt etiam omnes illi, qui cum nondum idonei sunt, ut exempli gratia ex S. Litteris dogmata religionis hauriant, ex catechesibus, quæ continent opiniones, quas alii habent de religione, & in quibus errare possunt, ea conuantur addiscere. Illi enim, saltem ad tempus, donec judicium est maturius, aliorum auctoritati solent fidere: quia pro eo tempore istud optimum esse judicandum est. Sed *in signi prudentia opus est qua discerni queant isti vere prudentissimi, &c.* Quid tum postea? Utendum est judicio quantum valet, cum melius nihil detur. Quod porro Cartesius dicit, *Quamvis forte nonnulli sint apud Persas aut Sinenses non minus prudentes quam apud nos, utilius tamen se judicasse illos sequi cum quibus ipsi esset vivendum.* Isto, arbitrio scilicet hoc homine, nihil dici potest vanius, aut quod Ethicorum dogmatum constantiam perinde convelleret. Satis enim constat quam diversimode prudentissimi homines, qui censentur, varias apud nationes aequum & iniquum, justum & injustum, denique rectum

& pravum definiant. Quod & satis multis exemplis unde quaque corrasis probat. Sed futilia haec sunt omnia. Primo enim quod dicitur de Ethicorum dogmatum constantia convellenda impertinens est ; cum hic agatur tantum de Ethicæ regulis ad tempus formatis , & quidem de iis, quæ iniqua vel prava judicare hactenus non possumus. 2°. Probandum foret versanti in Christianismo, & inter nationem, ut ex multis ejus actionibus & moribus judicare possumus, (non enim fingendus est Cartesius tum temporis fuisse adeo rudis, ut de nullis sanum judicium ferre potuerit) satis cultam, non esse utilius se accommodare eorum moribus & actionibus, cum quibus ipsi vivendum est, quam aliorum. Illa semper adhibita cautela ne ullum unquam tempus aut occasionem negligamus inquirendi num alia sint meliora, quæ sequi oporteat. Hoc autem si probaverit, erit mihi magnus Apollo. Neque ipsius sarcasmos & scurrilia dictoria vel hilum curo. Denique & istud arrodit quod Cartesius dixerit, *ex pluribus sententiis aequaliter usū receptis se moderatissimas semper elegisse, &c.* Sed cum præter locum communem de mediocritate inter excessum & defectum consistente, in qua Aristoteles virtutem collocavit, quique ad rem præsentem nihil pertinet, ubi agitur tantum de iis quæ ulterius examinanda sunt, non est operæ prærium eum recensere. Refutandæ essent rationes, quas Cartesius sub jungit se movisse ut illam ad tempus iniret viam. De cætero per me licet proponat sibi Adversarius eorum mores & actiones pro exemplari ad imitandum, qui extrema qualibet, omnem moderationem & mediocritatem aversantes, sine modo & mensura sectari consueverunt, & experiatur an majorem inde sit meriturus laudem, quam illi quibus animi moderatio magis placet cum Cartesio. Ex diétis liquet quam feliciter disputator noster Regulam primam impugnaverit.

L IV. Altera regula erat, inquit Cartesius, ut quam maxime constans & tenax propositi semper esset; nec minus indubitanter atque incunctanter in iis agendis perseverarem, quæ ob rationes valde dubias, vel forte nullas suscepseram, quam in iis de quibus plane eram certus. Ut in hoc viatorum consilium imitarer, qui si forte in media aliqua sylva aberrarent, nec ullum iter ab aliis tritum, nec etiam versus quam partem eundem sit agnoscant, non ideo vagi & incerti modo versus unam, modo versus alteram tendere debent, & multo minus uno in loco confistere, sed semper recta quantum possunt versus unam & eandem partem progredi; nec ab ea postea propter leves rationes deflectere, quamvis forte initio plane nullas habuerint, propter quas illam potius

tius quam aliam quamlibet eligerent. Hoc enim pacto, quamvis forte ad ipsum locum ad quem ire destinaverint, non accedent, ad aliquem tamen tandem devenient, in quo commodius quam in media sylva poterunt subsistere. Eodem modo quia multa in vita agenda sunt qua differre plane non licet, certissimum est, quoties circa illa quid revera sit optimum agnoscere non possumus, illud debere nos sequi quod optimum videtur; vel certe si quædam talia sint, ut nulla nos vel minima ratio ad unum potius quam contrarium faciendum im- pellat, alterutrum tamen debemus eligere, & postquam unam semel senten- tiam sic sumus amplexi, non amplius illam ut dubiam, in quantum ad pra- xin refertur, sed ut plane veram & certam, debemus spectare; quia nempe ratio propter quam illam elegimus vera & certa est. Atque hoc sufficiens fuit ad me liberandum omnibus iis anxietatibus & conscientia morsibus, quibus infir- miores anime torqueri solent; quia multa sepe uno tempore amplectuntur ut bona, que postmodum vacillante judicio mala esse sibi persuadent. Contra hanc regulam insurgit Adversarius paragrapho 39. Valde proculdubio, inquit, laudabilis est sancti justique propositi tenacitas. Verum uti quis haud minus indabitanter, atque incunctanter in iis peragendis perseveret, quæ ob rationes valde dubias vel forte nullas suscepit, quam in iis, de quibus plane certus fit, quod Cartesio placuit; ab omni sincera constania tam est alienum, quam quod alienissimum. Quodnam hoc est Ethica monstrum, quæ jubet in peragendis vel maxime dubiis attamen perseverare indubitanter? Officia cer- ta & incerta, nempe post officiorum incertorum electionem quamcunque teme- rariam, quoad actiones, nullo discrimine habere? Fictorumque, licet prava forte sint, & vero pravissima, tenacem non esse minus, ac eorum, quæ san-cta & justa certo cognoveris? Boum, nisi fallor, hac est Ethica, non Ho- minum. Non vereor dicere quæcunque hic dicit Adversarius malitio- si litigatoris calumniam esse putidissimam, non sinceri & candidi ho- minis objectionem. Quod demonstratu non est difficile. Nunquam Cartesius absolute & simpliciter quippiam eorum dixit. Optime Ad- versarius novit hasce Ethicæ regulas tantum esse formatas à Cartesio, non ut eas haberet pro solidis Ethicæ fundamentis, quæ retinenda sunt, sed ut ad tempus secundum eas vitæ suæ actiones institueret, do- nec ex rationis lumine meliora & accurriora, quam hactenus facere potuerat, judicia instituerit, eumque in eo studio indesinenter per- severare decrevisse. Superius enim eum protestantem audivimus, ha- sce regulas satis rectas sibi visas non fuisse, nisi in veritate per methodum suam investiganda perseverare decrevisset. Addita ratione, quod, cum Deus unicuique nostrum aliquod rationis lumen largitus sit ad verum à falso distin- guendum,

guendum, non putasset se, vel per unum diem, totum alienis opinionibus regendum tradere debere, nisi statuisset easdem proprio ingenio examinare, statim atque se ad hoc recte faciendum satis parasset. Porroque ait, se, quādiu illas sequebatur, absque errandi metu non fuisse, nisi sperasset, se nullam interim occasionem, meliores si qua essent inveniendi, pratermissurum. Non minus novit Cartesium in hac regula expressis verbis significare se hæc intellecta velle *de iis in hac vita agendis*, que differre plane non licet, &c. Neque etiam ignorare potuit, cum Vir quidam eruditus ipsi objecisset, Secundam Ethicæ regulam videri parum tutam, scilicet adherendum esse opinionibus, quas semel decrevimus sequi, etiam si admodum dubia sint, non minus quam si essent certissima: si enim vel false sint vel male, quo magis eas sequemur, eo gravius in errorem aut vitium nos incursumos: Cum, inquam, hæc ipsi objecisset, Cartesium hunc in modum respondisse Epistolarum tomo 2. ep. 2. Quod si, inquit, dixissem absolute esse adhaerendum opinionibus, quas sequi semel decrevimus, quamvis dubia forent, non essem minus culpandus, quam si pertinaciam & perversaciam suasisssem; quia adhaerere opinioni idem est, atque perseverare in iudicio quod dæ ea tulimus. Sed dixi prorsus aliud, nimirum debere nos esse determinatos in actionibus nostris, etiam dum fluctuamus in iudiciis; neque minus constanter adhaerendum opinionibus etiam dubiis, hoc est, non minus constanter agendum secundum opiniones, quas dubias judicamus, ubi semel ad eas determinati sumus, hoc est, cum consideravimus nullas esse, quas judicemus meliores aut certiores, quam si sciremus illas esse optimas; ut revera posita hac conditione optime sunt. Neque vero metuendum est ne hæc in agendo constantia nos magis & magis in errorem vel vitium inducat, quoniam error non potest esse nisi in iudicio, quod suppono nihilominus manere liberum, & considerare sub ratione dubii id quod dubium est. Præterquam quod hanc regulam refero ad eas vitæ actiones, quæ nullam moram patiuntur, neque illa utor nisi pro cautela, cum consilio mutandi opiniones meas, quam primum meliores reperire potero, nullamque negligendi occasionem in illas inquirendi. Ceterum, inquit porro Vir magnus, adductus fui ad differendum de hac quoad actiones determinatione & constantia, tum quia ad conscientia tranquillitatem necessaria est, tum ne quis me culparet quod scripsisset, ad vitandum præjudicia abdicandas esse semel in vita opiniones omnes quibus ante fidem adhibuimus. Nam verisimile erat mihi objectum iri, dubitationem adeo universalem posse parturire magnam indeterminationem, magnamque in moribus vacillationem. Ita ut putem non potuisse me majore cautela uti, quam usus fui, collocando determinationem, quatenus est virtus, inter duo vitia illi contraria, indeterminationem videlicet

& pertinaciam. Volui hæc ex ipso Cartesio prolixius aliquanto repertere, ut Adversarii calumnia tanto clarius emicaret.

L V. Ad comparationem porro quam Cartesius instituit de viatore, &c. Non negat quin ita fieri possit; sed neque dubium esse ait, quin fieri possit aliter; nempe ut viatores infortunati, dum recta semper, quantum posse sunt, versus unam & eandem partem progrediuntur, in loca salebrosa, sensibus horrida, sed & foreis & cavernis invia, sese conjiciant, ubi multo quam in media sylva confistere queant, *incommodius*. Nugæ. Sermo enim hic instituitur de viatoribus, qui nempe in media sylva forte aberrarunt, nec ullum iter ab aliis tritum, nec versus quam partem eundem sit norunt, quibusque non est tutum illic subsistere. Cartesius autem vult, & quidem summa cum ratione, quia alias forte vel fame per eundum esset, vel expectanda à feris bestiis laniatio, eo in loco neque permanentum esse, neque vase & incerte nunc aliquantulum in unam, nunc in aliam partem esse progrediendum; quia ea ratione errorum nunquam inveniretur finis: sed unam aliquam in partem viam esse tentandam, rectaque pergendum, nec ab eo proposito desistendum, quamdiu tutior via ignoratur; etiamsi in principio nulla forte fuerit ratio hanc potius quam aliam eligendi viam: cum enim aliquid eligendum est, illud jure merito optimum censetur, quod electum est. Neque temeraria dici potest ea electio, sed rationabilis libertatis nostræ usus; quia in talibus circumstantiis constituto alia nulla evadendi spes relicta est. Nec refert quod ita agendo in loca salebrosa, &c. se conjicere possit viator: hoc enim cum sit mutandum est consilium; neque id adversatur Cartesio. Postea censuram etiam stringit in comparationis applicationem. *Quorsum*, inquit, *hæc pertinent?* Vel quanam hæc est Ethica, quæ ducem vita constituit fortè fortunam? uti nimurum hac modo vel illac temere ruamus, instar viatorum, qui cum semitam sibi non sapient, sese tamen accingunt itineri, quidque casus ferat, experiri malunt, quam otiosi desidere. Quanquam viator sive longitudinem sive latitudinem sylve, modo recta pergit, superare potest aliquando: verum à semita morum divagantibus, infinita patent quaquaversum errandi spacia. Hic rursus calumniatur Sophista, supponendo quasi ageretur de talibus actionibus quæ moram patiuntur, quasque differre possumus, cum sciat Cartesium expressis verbis contrarium dicere. Sed & reliqua examini subjiciantur. *Ratio*, inquit, *vera & certa*, quan Cartesius indicare voluit postremis verbis, propter quam videlicet illam sententiam, licet contraria sententia nullo modo probabiliorem, attamen elegerimus, alia, nisi fallor, in-

telligi non potest , quam hac , nimurum , quia contrariorum eque dubitabilium debuerimus alterutrum eligere . Hac autem esse ratio non potuit , quare in illam quam in adversam sententiam ire maluerimus : tantum esse ratio potuit , quare visum fuerit in alterutram descendere . Bella sane nugatio , & suo auctore digna . Quasi vero scilicet Cartesius rationem reddere voluerit , cur illam præcise sententiam , licet contraria nullo modo probabiliorem , velimus eligere ; quod nemo præter hunc hominem somniare unquam poterit . Sensus verborum Cartesii est planus ; Nimurum , si talia quædam sint , quæ differre plane non licet , & nulla nos vel minima ratio ad unum potius quam contrarium faciendum impellat , alterutrum tamen debemus eligere ; non quod certa aliqua ratio sit propter quam id quod eligimus judicemus esse eligendum præ opposito ; (hoc enim solummodo facimus ex ea qua prædicti sumus agendi libertate sive facultate sese pro lubitu ad id determinante , fuisseque æque liberum contrarium eligere) sed quod ratio propter quam aliquam eligimus , & voluntatem plane indifferentem determinamus , vera & certa sit ; quia nempe non debemus manere indifferentes & indeterminati .

L V I . Fieri certe potest , inquit porro nugivendulus , & vero contingit saepissime , ut quis ambigat , quid honestum vel turpe sit , vel factu , vel omisso : quum res alterutrum , sive aliquid , plane flagitet . Hic ergo quid facimus ? An tantum corvos sequimur testaque lutoque ? Si Cartesum audiimus , omnino precipitandum vel alterutram vel aliquam in partem judicium est : ac sententia semel arrepta mordicus inherendum . Temere scilicet incipiendum , ac temere pergendum est . Pro ratione stat utrobique temeritas . Non credo quempiam inventum iri adeo constantem , ut cum ista legit non erumpat in cachinnum . Ipse saepissime contingere concedit , ut quis ambigat , quid honestum vel turpe sit , vel factu vel omisso ; quum tamen res (NB.) alterutrum , sive aliquid plane flagitet . Constat tum consilium in arena sumendum esse , nullamque ad deliberandum moram esse relictam . Quomodo igitur in talibus casibus vel temeritas , vel præcipitantia locum habere poterit ? Et quamdiu id quod electum est vel malum esse non constat , vel eo nihil melius novimus , quænam quæso causa esse posset , cur à proposito discedemus ?

L VII . Sed notandum hic esse , ait , insigne quoddam Philosophie Cartesii mysterium . Nam circa que nuda meraque contemplatio versatur , in hisce quidem dubia tantisper existimat esse pro falsis habenda . Sed vero quod spe-
dat

Erat ea quæ pertinent ad pietatem & mores, in hisce vaticinatur amplexanda non minus esse dubia quam certa: inque dubiis haud minus, quam in officiis longe certissimis, esse perseverandum. Quinimo sententiam, quantumcunque dubiam & incertam, ex quo semel sumus amplexi, licet ob rationes vel maxime dubias aut etiam omnino nullas, amplius tamen ut dubiam, in quantum ad praxin refertur, spectari non debere, sed ut plane veram & certam. O subtile judicium! Anne pietatis universa potius honestatisque calamitatem! Etenim qui dubias aut vero nullas ob rationes eligit quod agat, quamvis id quod pium est vel honestum agere forsitan evenerit, non tamen agit bene: sive in agendo perseveret, non bene perseverat: quippe cum nullo pietatis aut honestatis amore in illam partem se se inclinaverit: sed ruit inconsulto: Neque Numini paret Optimo Maximo, verum Diye nimirum Temeritati praestat obsequium. Oportet sane virtutem oppido vilem esse, si discrimina bonorum & malorum accurate cognoscere tam exiguum est opera pretium. Respondeo, Dubitationem Cartelianam non minus extendendam esse ad ea, quæ pietatem & mores concernunt, quam ad alia, quia & illa suam habent veritatem & contemplationem, satis superius est ostensum. Et per consequens non minus utile est, propter candem rationem, ut, quæ in iis dubia sunt, aliquamdiu habeantur pro falsis, ut tanto liberioris quid pium & honestum, quid impium & dishonestum sit, possimus inquirere, quam in reliquis, ex mente Cartesii. Quis igitur hunc hominem excusare poterit à calunnia, cum fingit Cartesium, in iis quæ pietatem & mores spectant, statuere contrariam ineundam esse viam, & dubia non minus amplexanda esse, judicio nimirum approbante, (alius enim sensus verborum esse non potest) quam certa: inque dubiis haud minus, quam in officiis longe certissimis, esse perseverandum, &c. Quin imo tota regula hæc secunda examinetur, & patebit nullam pietatis vel cuiuscunque alterius virtutis in ea fieri mentionem, sed tantum agi de iis quæ in vita agenda occurront, quæque differre plane non licet; & quidem in talibus casibus in quibus ignoratur quid revera optimum sit; vel etiam in quibus nulla ratio se offert, quæ ad unum potius quam ad aliud faciendum impellat. Nempe illis positis circumstantiis, vel id quod optimum appareat, vel alias saltem aliquid eligendum esse dicit Cartesius, & debere nos esse determinatos in actionibus nostris, facta semel electione, etiam dum fluctuamus in judiciis. Ut latius ex iis quæ ante dicta sunt patet. Sane oportet virtutem Adversario nostro valde vilem esse, qui adeo audacter quicquid ipsi in buccam venit non veretur aliis affingere. Scur-

rilia porro dieteria, quibus animi tranquillitatem, quam Cartesius istoc medio se consecutum esse ait, exagitat Scurrus, ipsi relinquio. Iste sibi talibus factis animi tranquillitatem conciliet si possit.

L V I I I . Tertiam regulam impræsentiarum dimittit Adversarius. Attamen, antequam manum de tabula, unum sibi superesse ait paragrapho 40. proprius aliquanto discutiendum. Nimurum Cartesius post tres Ethices regulas traditas inter cætera dixerat, *Tres regulas mox expositas satis rectas sibi viisas non fuisse, nisi in veritate per hanc methodum investiganda perseverare decrevisset. Nam, inquit, cum Deus unicuique nostrum aliquod rationis lumen largitus sit, ad verum à falso distinguendum, non putasse me, vel per unum diem, totum alienis opinionibus regendum tradere debere, nisi statuisse easdem proprio ingenio examinare, statim atque me ad hoc recte faciendum parasset. Nec quamdiu illas sequebar absque errandi metu fuisse, nisi sperasse me nullam interim occasionem meliores, si que essent, inveniendi prætermisurum.* Adversus ista hanc movet difficultatem. Itaque primum, inquit, colligo, *Cartesum in animo non habuisse vitam semper instituere secundum opinionem aliorum, quamcunque prudentissimorum hominum: imo vero existimasse culpabilem fore temeritatem, si non apud animum suum decrevisset opiniones illas ad examen omnes aliquando revocare. Non dum tamen intelligo, quanam ratione in seram etatem aut valde maturam procrastinatum examen inculpabilem & sanctam reddere potuerit anteriorem temeritatem. Sperabat Cartesius occasionem à se nullam prætermisum iri meliores opiniones, ad Ethicam nempe disciplinam, si que forent inveniendi. Sed hæc spes in posterum quimam illum retro constitutæ quiverit, sicuti gloriatür, extra metum errandi, capiat qui potest. Color etiam, quem procrastinationi tam diurna Cartesius obducere conatur, plane nullus est. Ait enim se statuisse super moribus aliorum opiniones etaminare statim atque se ad hoc faciendum fatus parasset. Natus autem erat cum ita decernere, annos 23. quod aliquanto superiorius indicaverat. Ex quo tempore immenso dubitationum pellago totum novennium & ultra se se commisit, natura scilicet arcana, diligenter speculando, rimaturus. Atqui nonne illum oportuit primum omnium esse sollicitum de moribus, de pietate, deque iis qua possunt hominem facere & servare beatum? Respondeo 1°. Adversarius dicit colligere se Cartesium in animo non habuisse, &c. quasi obscurius modo Cartesius & parum significanter, neque satis serio id dixisset: cum nihil à quopiam expressius & significantius proponi potuisset, tum in verbis allegatis, tum in præcedentibus, uti visum est. Sed hoc forte fecit ut præcedentes calumnias, quibus singit Cartesium agere de virtutibus quas*

quas constanter colere oportet, &c. excusare posset. 2°. Illud *ali quando* tacitam videtur includere accusationem; quasi nimirum, postquam Cartesius hasce sibi formasset regulas, apud animum suum statuisset secundum illas aliquamdiu ita vitam suam instituere, ut interim omnem curam abjiceret ea, quæ Ethicam spectant, quæque bona vel mala sunt, ulterius examinandi & investigandi: cum expresse dicat se in veritate eorum quæ ad mores pertinent perseverare decreuisse, addita etiam ratione, quæ adeo prægnans est, ut judicet se ne vel per unum diem alienis opinib⁹ regendum tradere debere, nisi statuisset easdem proprio ingenio examinare, statim atque se ad hoc recte faciendum satis parasset, sive ut in originali textu Gallico habetur, *tors qu'il seroit tems*, ubi tempus & occasio se obtulerit. Quod rationi esse consentaneum nemo sanæ mentis negare potest, qui considerare vult, ubi plurima examinanda & investiganda sunt, non simul & semel id de omnibus fieri posse, certumque esse constitendum ordinem; tum quatenus alia *aliis* sunt difficilia; tum quatenus demonstrandi methodus id requirit. 3°. Quod dicit de Cartesii procrastinatione in seram ætatem aut valde maturam antequam examen istud instituere statuisset, eumque tum 23 annos natum fuisse, ex quo insuper tempore immenso dubitationum pelago totum novenium & ultra se commiserit, naturæ scilicet arcana, diligentissime speculando, rimaturus; cum oportuisset primum omnium esse sollicitum de moribus, valde ridiculum & ineptum est. Posito enim ipsum hic, uti fere solet, peccasse, & nimis negligenter id, quod tamen præcipuum esse debuisset, in juventute curasse, an illud ingenue contenti, atque statuenti imposterum vitium istud serio emendare, exprobrari deberet? Ego in Ethicis didici nullam ætatem esse nimis seram ad vitæ emendationem instituendam, eamque retro actorum omnium culpam delere. Atque utinam Adversarius noster vel in ipsa senectute apud animum statueret moderationem & modestiam in scribendo discere, neque ita proximum suum amplius calumniis, scurribus dicteriis, & exprobationibus infectari. Deinde si propius inspiciamus quomodo Cartesius narret se juventutem suam transfigisse, non video ullam ab Adversario posse adferri rationem propter quam merito culpandus sit. Narrat se *ab ineunte etate ad litterarum studia animum adiecisse*; & quoniam à præceptoribus audiebat illarum ope certam & evidentem cognitionem eorum omnium quæ ad vitam utilia sunt (inter quæ proculduo moralia numeranda sunt) *acquiri posse*, *incredibili desiderio discendi*

se flagrare. Sed simul ac illud studiorum curriculum absolvisset, plane aliud se cogitare capisse: quia tot dubiis & erroribus se implicatum esse animadver- tebat, (postquam scilicet ea quæ didicerat, non amplius propter præceptorum auctoritatem credens, maturescente jam judicio, uti decet, ad rationis propriæ lumen examinasset,) ut omnes discendi conatus nihil aliud sibi profuisse viderentur, quam quod ignorantiam suam magis magisque detexisset. Neque tamen idcirco ait se studia omnia quibus operam dederat ne- glexisse; sed inter cætera quoque confessum esse multa in scriptis que de mo- ribus tractant præcepta, multisq[ue] ad virtutem cohortationes utilissimæ con- teneri. Non igitur dici potest Cartesium in juventute doctrinam de moribus vel contempssisse, vel neglexisse. Atque ut magis etiam constet ipsum satis curiosum fuisse in iis examinandis quæ ad mores spe- ciant, judicium ferens de veterum Ethnicorum scriptis moralibus, ad- modum eleganter & ex rei veritate comparabat etiam tum ea palatii admodum superbis & magnificis, sed arena tantum aut cœno inedificatis: quia virtutes quidem summis laudibus in eadum tollunt, easque ceteris omnibus re- bus longe anteponendas esse recte contendunt; sed non satis explicant quidnam pro virtute sit habendum, & sepe quod tam illustri nomine dignantur; imma- nitas potius & durities, vel superbia, vel desperatio, vel parricidium dici debet. Postea narrat etiam quomodo, ubi primum ipsi licuit per etatem e præceptorum custodia abire, litterarum studia prorsus reliquerit, (propter ra- tiones nimirum quas antea allegaverat, & quidem illud intelligendo prout ea in Scholis traduntur, vel ex libris hauriuntur,) captoque consilio nullam imposterum querendi scientiam, nisi quam vel in semel ipso, vel in va- sto mundi volumine posset reperire, insequentes aliquot annos variis peregrina- tionibus impenderit: in quibus aliorum hominum mores inter alia considerans, vix quidem aliquid certi se didicisse testatur; attamen hunc fructum ex iis per- cepisse, quod, cum notaret multa esse, qua licet moribus nostris plane insolentia & ridicula videantur, communi tamen assensu, apud quasdam alias gentes comprobantur, disceret nihil nimis obstinate esse credendum quod solum exem- plum & consuetudo persuaserit; & ita sensim se multis erroribus liberaret, mentemque veris rationibus agnoscendis aptiorem redderet. Ac porro addit, postquam sic aliquandiu quidnam in mundo ab aliis ageretur inflexisset, & non- nulla inde experimenta collegisset, quod semel etiam sibi proposuerit serio semet ipsum examinare, & omni ingenii vi quidnam à se optimum fieri posset inquire- re. Atque tum illam inquisivit methodum quam tradidit investigan- di rerum cognitionem, quæ non minus ad moralia, quam ad quevis alia extenditur; ac ne negligentia accusari posset in iis quæ mores spe- ciant,

Etant, dum in judicio suo excolendo occuparetur, & in accurriore inquisitione verfaretur; ad tempus sibi formavit hæc Ethicæ regulas, prout quam optime pro temporis ejus ratione potuit: natus autem tum erat annos viginti tres; sumebatque animi propositum nullum negligendi tempus & occasionem meliora dispiciendi. Judicet ex hisce lector an Adversarius justam habuerit causam Cartesium accusandi nimis procrastinationis in re adeo necessaria. 4°. Quod Adversarius *se non intelligere ait, quanam ratione in seram etatem aut valde maturam procrastinatum examen inculpabilem & sanctam reddere potuerit anteriorem temeritatem; & quinam spes in posterum illum retro constituere potuerit, sicuti gloriatitur, extra metum errandi, nugatorium est: nam, praeterquam quod, uti clare ostensum est, nulla temeritas est commissa, Respondeo neutiquam illam esse Cartesii mentem.* Textus enim originalis ita se habet: *Et je n'eusse seu m'exempte de scrupule en les suivant, si je n'eusse espéré de ne perdre pour cela aucune occasion d'en trouver de meilleures, en cas qu'il y en eust.* Id est, Non potuisse me liberare ab omni scrupulo regulas illas sequendo, nisi sperasse, illud non fore in causa, cur ullam occasionem prætermitterem meliores, si que essent, inveniendi. Vult igitur solummodo Cartesius dicere, se se propterea ab omni scrupulo & conscientiæ morsibus fuisse liberum, quod non nisi quod optimum esse judicare poterat statuerit sequi, & continuo inquirere in meliora. Et quis negare poterit hoc optimum esse Christiani hominis officium?

LIX. Nihil respondeo ad Adversarium cum querit, quare dubitatio, quæ pertinere dicitur ad initiationem Philosophi, tam procaciter audiat Cartesiana? Et cur non aut Socratica potius, aut Platonica, vel Aristotelica, vel etiam Verulamiana dicatur? Res enim ipsa clamat. Nihili etiam facio ridicula dictoria quibus porro Cartesii dubitationem insectatur. Atque haec ad criminationes contra dubitationem Cartesianam dicta sunt. Lectori porro judicandum relinquo an justam ullam Adversarius habuerit rationem vel in minimo apice illam carpendi; nedum tot scurrilibus dictoriis, tot omni bile amrioribus invectivis, tot acerbissimis exclamacionibus eam insectandi.

R E S P O N S I O
A D
D I A T R I B E N.

REINERI VOGELSANGII *De Idea Dei,*
secundum Cartesium, contra me institutam.

I.  Etiae philosophationi nihil magis adversum esse, quam jurandi temeritatem in verba Magistrorum. Neque illud esse sapere, illicoratum habere, quod ab aliquo, quem forte probaveris, est judicatum, sed veritatem de momentis rationum agnoscere, uti Adversarius differit paragrapho 1. non tantum Cartesio & Cartesianis non adversatur; sed primum eorum est principium. Ante omnia enim solidam scientiam acquirere cūpientibus maxime necessariam esse arbitrantur seriam abdicationem omnium præjudiciorum; adeo ut, quamdiu ullo modo judiciis ante vel à nobis ipsis, vel ab aliis, qualeuscunq[ue] illi sint, factis fidimus fine prævio rationis lumine, errandi periculum evadi non posse firmiter teneant. Quo autem jure, quave injuria Pythagoræ discipulis olim fuerint accusati, quod nimium auctoritat[er] Præceptoris sui detulerint ad me nihil refert, neque ad causam Cartesianam. Paragrapho 2. post narratam historiam durissimæ servitutis, quam Philosophia nimium diu sub Aristotele servivit, Non facile se posse definire ait, anne quorundam hodie circa Cartesium tolerabilior multo sit insania, licet non tam longa præscriptione roborata. Ac missis iis, qui disciplinas liberales augent & ornant aliquantulum de iis, que forte Cartesius aut adinvenit aut clarus exposuit, inter eos me numerat, qui novam servitutem Philosophie meditantur: quique clamoribus omnia complent; si quis in animum suum inducere non posset Cartesium nullibi non acu rem tetigisse, &c. Solitæ hæ sunt huic homini calumniæ, quas nihil moror: quin etiam superius fatis explicatum est quam justam habuerim rationem ipsum refutandi: an autem id bene fecerim, & ostenderim præter futilis cavillationes, & scurrilia dictoria, nihil sani in illius scripto contineri, quo Cartesianum dogma de Dubitatione convellatur, Lectoris erit judicare.

Para-

Paragrapho 3. in eadem pergens calumnia multa deblaterat , ad quæ respondere nihil attinet. Paragrapho 4. & quinto , post ejusdem cantilenæ continuationem & invectivam contra eos , qui magistrum sive dominum sapiendi , uti ait , pro libitu unum hominem constituerunt , & præcipue Cartesium , quem scopum in hac diatribe sibi proposuerit exponit , nimurum ostendere nihil prorsum à Cartesio recte vereque dictum esse , quod non dictum copiosissime fuerit prius : & quod argumentationi vulgata Cartesius addidit , meram & vanissimam esse corruptelam , & aliunde tamen hanc ipsam quoque desumptam . Loquitur autem , uti ait , de Cartesiana demonstratione , qua probat existentiam Dei necessariam ab idea Dei . Simul etiam statuit , quia ego scilicet hunc ipsi laborem dictis injuriosis (transeat hoc cum cæteris) extorxi , me hic ad partes vocare : uti nimurum discere occipiam miser , quam non frustra neque per calumniam dixerit , Cartesii reperta , disciplinam Physicam , & Ontologicam quod attinet , esse perpaucā : etimque duntaxat ferme aliorum inventa compilasse ac digessisse , nonnullis addidisse , quedam corrupisse . Latratibus hisce non terror . Eventus quid facere possit docebit : certamen saltem non detrecto .

I I . Paragrapho 6. Præstantissimum Claubergium , ideam Dei clare satius exponere , ait Adversarius , cogitationem de Deo , sive conceptum Dei , vel de Deo ; eique ea in re prævisse Cartesium . Istud quin verum sit nemō negare potest . Notat præterea idea vocabulum esse valde παλισμον & ambiguum . Ac porro paragrapho 7. discursum instituit de ideis ex mente Platonis , & Platonicorum , veterum Academicorum aliorumque , quod ipsi liberum fuit , imo necessarium , si tantam inde disputatio sit lucratura claritatem , quantam auguratur ; de quo videbitur in progressu .

I I I . Paragrapho 8. meam , quam ex Cartesio mutuatum me esse dixeram , Disputationis 1. de Naturali Dei cognitione thesi 2. ideæ definitionem geminam ad examen vocat . Ea autem ita sece habet : Per ideam intelligitur representamen rei in intellectu ; sive res cogitata quatenus est objective in intellectu . Esse autem objective in intellectu est eo modo esse in intellectu , quo objecta in illo esse solent , cum menti representantur . Scurra nosfer , postquam per bellum hunc vocavit commentarium , & acuminis egregie deliciati : Quid , inquit , est representamen rei in intellectu ? Nihil aliud , inquit meus homo , quam res cogitata , quatenus est objective in intellectu . Sed vero quid est objective in intellectu esse ? Respondet , est eo modo esse in intellectu , quo objecta in illo esse solent , cum menti representantur . Plane quemadmodum si ego dicarem ; Quid est cochlea ? Est bestia terrigena , herbigrada , do-

*miporta, sanguine cassa. Tum rursum, quid est bestia terrigena, herbivaga-
da, domiporta, sanguine cassa? Est cochlea. Vel quid est testudo? Est qua-
drupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera, capite brevi, cervice anguina,
aspectu truci, eviscerata, manima cum animali sono. Tum rursum; Qua-
nam ista, malum, bellua quadrupes ejusmodi? Testudo est. Quis in
Theologo ferat tantam malitiam & impudentiam in sensu verborum
alicujus pervertendo, ut habeat quod cavillari possit. Ego, ut ex con-
textu orationis manifestum est, geminam ex Cartesio ideæ propono
definitionem; quarum tamen utraque, verbis licet diversis, eundem
sensum exprimit. Priore dico ideam esse, *Representamen rei in intellectu*. Posteriore, *Rem cogitatam quatenus est objective in intellectu*. Verum,
quia terminus ille *objective* obscuritatem forte nonnullam quorundam
mentibus inducere posset, (quemadmodum eum Auctor primarunt
objectionum male erat interpretatus) illum ex Cartesii Responsioni-
bus ad illas objectiones explicui, dicendo *objective* esse in intellectu,
est *eo modo esse in intellectu, quo objecta in illo esse solent, cum menti repre-
sentantur*: atque eadem opera ostendere volui nullam, quoad sensum,
inter duas hasce definitiones esse discrepantiam. Circulum hic com-
mitti, & idem per idem explicari, nemo, uti opinor, dicere audebit,
nisi qui velit haberi malitiosus cavillator. Post scurrilia aliquot dicte-
ria pergit Sophista. *Quid hoc, inquit, sibi vult? quod iste (nimirum ego)*
sive differit sive delirat potius, representamen rei in intellectu nihil aliud esse
quam rem cogitatum, quatenus est objective in intellectu. Hoc est, uti opinor,
quatenus objicitur intellectui: sive quatenus intelligitur aut cogitatur. Atqui
longe certissimum est, nullo modo nisi metonymice dici posse, representamen
*esse rem ipsam cuius est representamen; videlicet metonymiam signi pro signi-
ficato. Huc ergo recidet oratio; representamen rei videlicet in intellectu est*
*representamen rei: vel representamen rei nimirum in intellectu, sive repre-
sentamen rei, quatenus est objective in intellectu. Quis hac ferat monstra nu-
gationum? Imo vero quis adeo malitiosam, & quidem in Theologo,*
ferat sophisticandi pruriginem? Duas me tradidisse ideæ definitio-
nes sensu convenientes, non vero commisisse circulum idem per idem
explicando jam notatum est. Sponte igitur sua cadit absurdissima
cavillatio, qua ostenditur duo illa unum & idem significare, quod so-
lum ego innuere volui, cum duas istas definitiones proponerem.*

IV. Eadem disputatione prima de naturali Dei cognitione, post-
quam explicui quo sensu à Cartesio vox ideæ sumatur, & ostendi,
etiamsi ab aliis ea in eodem sensu nunquam esset usurpata, ei liberum
fuisse

fuisse vocem ideæ tali rei significandæ alligare , quia vocum definitio-
 nes illæ arbitriae sunt , & indisputabiles , utpote quæ inter prin-
 cipia recensentur ; ex superabundanti tamen contra importunos Ad-
 versarios clamitantes Cartesium voce ideæ nimium inepte. abuti , &
 nescio quid monstri sub ea occultare conari , demonstravi vocem istam
 in illo significatu , tum veteribus , tum recentioribus , esse satis fami-
 liarem . Ac tandem ut omnem cavillandi ansam præscinderem thesi
 ultima dixi me , ne ridear voce ideæ aliquid velle tegere , indifferenter im-
 posterum usurum vocibus notionis , conceptus , repræsentaminis , imaginis , aliis-
 ve ; idemque & Cartesium fecisse , adversarios ejus facile potuisse videre , si
 oculos aperire voluisserint , vel si calumniandi libidine non fuissent occœcati . Ad-
 versarius paragrapho 9. negat se intelligere , quosnam Cartesii adversa-
 rios designem , & quidem occœcatus calumniandi libidine , mavultque suspici-
 ari me , dum hæc verba fundo , calumniari . Quis credat hunc hominem ea
 quæ aliquot retro annis in hac Academia & alibi scripta & disputata
 sunt ignorare ? Ceite Appendix secunda ad disputationem 2. de Naturali Dei cognitione , qua refuto Viri cujusdam Celeberrimi disputationem ea de re contra me scriptam , docere ipsum potuit non deesse tales adversarios . Eodem paragrapho , postquam multa satis , suo mo-
 re , insulsa effutivit , Per me , inquit , licet , uti Vir Celeberrimus iis uta-
 tur vocabulis , quæ putat maxime sibi fore commoda : siquidem sensa sua le-
 gentibus innotescere patiatur . Sed quemadmodum utatur , ipse viderit : &
 meum erit expendere . Præsta modo te virum . Sed in antecessum scire
 sibi lubitum esse ait , quia præter voces imaginis atque repræsentaminis etiam
 notionis & conceptus injicitur mentio , num per notionem atque conceptum
 idem , quod præstantissimus Claubergius , indicare voluerim , nempe cogita-
 tionem ? Sane Cartesius , inquit porro , ubi comprimit in hoc est , uti men-
 tem suam luculentissime , quantum potest , exprimat ; exertiſſime protestatur ,
 seſe paſſim ubique nomen ideæ ſumere pro omni eo , quod immediate à mente
 percipitur : ad objectionem quintam tertis reſponſionibus . Uti mirum ſit , qui-
 nam idea ſimul eſſe poſſit cogitatio ſive conceptus formalis , & id ipsum quod
 concipiatur ſive cogitatur . Imo ſane per notionem & conceptum idem
 indicare volui quod Claubergius per cognitionem de re aliqua ; ne-
 que unquam aliter statuit Cartesius . Et quis , quæſo , ſanæ mentis
 dubitet , omnem cognitionem de re aliqua eſſe ejus rei in mente con-
 ceptum ſive notionem , ſive repræſentamen , ſive perceptionem ? An
 non cognitione eſt actus mentis cuius ea ſibi eſt conſcia ? Quomodo au-
 tem illa ſibi conſcia eſſe poterit , ſi non percipiatur , vel concipiatur ali-
 quid ?

quid? cogitatio enim cogitatio esse non potest nisi sit de aliquo obiecto. Sed idea simul non potest esse cogitatio sive conceptus formalis, & id ipsum quod concipitur, sive cogitatur. Nugæ. Omnis cogitatio, quia est mentis actus, quo aliquid percipitur, nihil aliud est quam idea, qua illud menti repræsentatur, sive conceptus ejus. Ille autem distinguitur in formalem & objectivum, non tanquam in duos conceptus, ideas, vel cogitationes distinctas, sed secundum diversos respectus secundum quos potest considerari: vel enim considerari potest secundum esse suum proprium, ut est cogitandi quædam forma sive modus & accidens mentis, & vocatur conceptus formalis; vel secundum esse suum repræsentativum, quod objectum habet in mente, per illum ipsum cogitandi modum.

V. Postquam Cartesius, Meditatione tertia, ex eo quod existeret, & ideam Dei in se haberet, Divinum Numen existere demonstravit, ita porro circa finem philosophatur. Supereft tantum, inquit, ut examinem qua ratione ideam istam à Deo acceperim: neque enim illam sensibus haui, nec unquam non expectanti mihi advenit, ut solent rerum sensibilium idea, cum ista res externis sensuum organis occurruunt, vel occurrere videntur; nec etiam à me efficta est, nam nihil ab illa detrahere, nihil illi superaddere plane possum, ac proinde supereft ut mihi sit innata, quemadmodum etiam mihi est innata idea mei ipsius. Et sane non mirum est Deum me creando ideam illam mihi indidisse, ut esset tanquam nota artificis operi suo impressa: nec etiam opus est ut nota illa sit aliqua res ab opere ipso diversa, sed ex hoc uno quod Deus me creavit, valde credibile est me quodammodo ad imaginem & similitudinem ejus factum esse, illamque similitudinem, in qua Dei idea continetur, à me percipi per eandem facultatem, per quam ego ipse à me percipior, &c. Ista Cartesii verba ad examen revocat Adversarius paragrapgo 10: Siquidem, inquit, idea Dei, secundum placita Cartesii, tantundem sit atque conceptus Dei, sive de Deo, vel cogitatio de Deo, quemadmodum retro jam constat, quinam, obsecro, Cartesius illam describit innatam, & à Deo per creationem sive creando penitus inditam, quasi notam artificis operi suo impressam? Nec enim dubium esse debet, quin arbitrii nostri sit conceptum sive cogitationem de Deo vel elicere vel non elicere, nimirum ea libertate quam Barbari vocant contradictionis. Atqui forte, subjungit immediate, per metonymiam Cartesius ita locutus est, uti per ideam nihil aliud intellexerit, quam facultatem scilicet eliciendi talem ideam. Sic utique Cartesius explicare semet ipsum satis auxie molitur, notis ad programma. Cartesius autem eo loco ita fatur: Non enim unquam scripsi vel judicavi men- tem

tem indigere ideis innatis, quæ sunt aliquid diversum ab ejus facultate cogitandi. Sed cum adverterem, quasdam in me esse cogitationes, quæ non ab objec-
tis externis, nec à voluntatis mea determinatione procedebant, sed à sola co-
gitandi facultate, qua in me est; ut ideas sive notiones, quæ sunt istarum
cogitationum formæ, ab illis adventitiis aut factis distinguerem, illas inna-
tas vocavi: eodem sensu, quo dicimus generositatem esse quibusdam familiis
innatam: aliis vero quosdam morbos, ut podagram vel calculum. Non quod
ideo istarum familiarium infantes morbis ipsis in utero matris laborent: sed
quod nascantur cuni quadam dispositione sive facultate ad istos morbos con-
trahendos. Ubi quæso anxietas vel minima apparet, cum ita Carte-
sius mentem suam interpretatur? Unicuique enim, ea quæ antea de
idea Dei dixerat legenti, explicatio illa est obvia. Sed audiamus por-
ro quid Adversarius dicat. Exempla, inquit, quibus explicare dicta sua
satagit Cartesius haud valde commoda sunt, meo quidem judicio. Nam se-
mina morbi revera quoque morbi sunt: atque iltu certe possunt infantes con-
genita secum afferre in utero matrum. Et generositas utique dispositio qua-
dam est, non actio. Parum refert quod moroso huic cavillatori exem-
pla hæc parum visa sint commoda: sufficit nobis quod nemo sanæ
mentis umquam crediderit infantes in utero matris calculo vel poda-
gra laborare, quamdiu nullus calculus, vel dolores podagrivi adsunt;
attamen omnes, tum ratione, tum experientia edocti non dubita-
rint affirmare posse eos ex parentibus talem contraxisse temperiem per
quam ad illos morbos contrahendos disponuntur, atque idcirco esse
eos innatos. Similiter nemo in utero matris dixerit infantes actu esse
generosos; generositatem nihilominus ipsis esse innatam affirman:.
quia parentes generosi ipsis communicavere temperamentum, quod
eos maturascente ætate, cum satis futurum erit validum, instigabit ad
actiones generosas edendum. Ceterum, inquit, quod rem ipsam spectat,
fateor sane pervulgatam esse metonymiam, qua τρεπλέψεις, id est, anticipa-
tiones, & ἐννοίαι, sive notiones, insitæ, vel innatae, vel cognatae dicuntur; quas
mens nostra valde habet in promptu, sive complexas, sive incomplexas, ut in eas
ultra veluti prorumpat. Quapropter equidem nullus improbo, quod Cartesius
ideas meditatione tertia rudi Minerva distinguit; alias nempe adventitias,
alias à mente nostra pro libitu factas, adeoque factitias, & fictitias, alias deni-
que innatas, puta, quo dictum est modo. Sed multum, inquit, vereor, ut hæc
interpretatio commode satis applicari posit ad illa Cartesii verba, quæ citata re-
tro sunt. Ego vero nullus dubito, quin, quidquid est Adversarius allatu-
rus ad hoc probandum, futilestima & pueri indignissima sit futura

cavillatio. Experiamur igitur: Cum enim, inquit, curiosissime sibi praefluissest examinandum atque disquirendum, quanam ratione ideam istam, Dei videlicet, à Deo accepisset, omnino res ipsa flagitabat, uti nodum hunc apertissima responsione dissolveret. Non autem hoc investigandum sibi proponuerat, qua ratione facultatem cogitandi de Deo, videlicet mentem, à Deo accepisset. Imo vero non ad istiusmodi quippiam respondere primitus aggreditur. Quam enim dictu suisser frivolum, sese mentem non hauiisse sensibus, &c. Ergo de ipsamet idea proprie quarebatur. Hanc itaque dicim innatam & creando divinitus inditam, &c. Quæ profecto ubi distinctissime respondendum ad amissim erat, non quadrant in ipsammet ideam, hoc est, in conceptum sive cogitationem de Deo, seu cogitandi formam. Neque tamen eum se esse ait, (ut nimirum ostendat quam sit moderatus) qui velit admodum exagittare, si cui dictum exciderit obscurius & perplexius, quum sese presertim ad bonam frugem receperit. Neque obscure neque perplexe locutus est Cartesius, sed ita ut nemo aliter vel possit vel debeat loqui in tali materia. Idea absolute & simpliciter considerata est conceptus, vel cogitatio actualis de aliqua re, veluti idea Dei est conceptus, vel cogitatio actualis de Deo. Verum omnis idea, si originem spectes, vel sensibus hauritur, vel à nobis ipsis, nimirum à voluntatis nostræ determinatione, facta est, per compositionem scilicet vel divisionem, ampliationem vel diminutionem earum idearum, quas in mente actu habemus; vel simpliciter à nostra cogitandi facultate procedit, & eo respectu dici solet innata, non quod semper actu sit in mente; sed quod sit facultas innata à qua procedit cum elicetur, ut morbi quidam, notiones sive notitiae, &c. dicuntur innatae, quia profluunt à certis quibusdam dispositionibus, vel facultatibus naturæ insitis. Cum ergo idea Dei neque sensibus sit hausta, neque à nobis facta; sequitur eam esse innatam, id est; esse in nobis facultatem cogitandi nobis innatam à qua procedit. Cum porro Cartesius sibi examinandum proponit, qua ratione ideam Dei, quotiescumque de Deo cogitamus, in nobis existentem, à Deo, cui omnia quæ in nobis sunt accepta sunt ferenda, acceperimus, concludit eam non aliter à Deo posse dici datam, quam quia nobis dedit facultatem illam quotiescumque libuerit formandi. Jure igitur merito in notis ad programma dixit, se nunquam scripsisse vel judicasse mentem egere ideis innatis, que sint aliquid diversum ab eius facultate cogitandi: quatenus enim considerantur ideæ non simpliciter in sese, ut sunt actuales cogitationes; sed ratione suæ originis, id est, facultatis cogitandi à qua procedunt, per eas aliud nihil

intelligi potest, quam facultas cogitandi, sive formandi ideas. Exemplum res clara erit. Notitia hujus propositionis, *Quod factum est infelatum fieri nequit*, est innata. Notitia simpliciter in se considerata actum cognoscendi denotat: sed ea notitia considerata ratione suæ originis, cuius respectu dicitur innata, nihil aliud denotat quam facultatem illum cognoscendi actum quotiescumque libuerit eliciendi: ita ut notitia ejus veritatis intelligatur nihilominus innata esse, etiam si actu de ea non cogitemus. Sed cum Cartesius sibi præstitusset examinandum, qua ratione ideam Dei à Deo accepisset, non sibi investigandum proposuerat, qua ratione facultatem de Deo cogitandi, sive mentem, à Deo accepisset; Ergo de ipsamet idea proprie quærebatur. Certum hoc est. Sed quid tum postea? *Cartesii dicta*, inquit, *non quadrant in ipsammet ideam, sive conceptum de Deo*. Nugatorium istud est, veluti ex dictis patet: idea enim Dei, quæ est actualis conceptus de Deo, dicitur in pata, prout consideratur ratione suæ originis, propter facultatem à Deo nobis innatam, per quam eam actu elicimus.

V I. Postquam Cartesius Meditatione 3. primam suam proposuit demonstrationem existentiae Dei Optimi Maximi ex consideratione ideae Dei, quam in mente nostra deprehendi dixerat; ne vel minima obscuritas vel difficultas remorari aliquem forte posset, quo minus eam esse putaret efficacem; pergit porro examinare quidquid in contrarium objici posse videtur. Atque ante omnia, quia non desunt qui negare audent se habere in sua mente ideam Dei, (quamquam nihil esse possit quod sit evidenter; cum enim queritur an sit Deus, intelligimus queri an sit Ens^o omnes perfectiones sine ullo defectu in se continuens, quæ intellectio est idea Dei) iis hac ratione occurrit. *Nec putare*, inquit, *debeo me non percipere infinitum per veram ideam, sed tantum per negationem finiti, ut percipio quietem, & tenebras per negationem motus & lucis*; nam contra manifeste intelligo plus realitatis esse in substantia infinita quam in finita, ac proinde priorem quodammodo in me esse perceptionem infiniti quam finiti, hoc est Dei, quam mei ipsius: *quaenam ratione intelligerem me dubitare, me capere, hoc est, aliquid mihi deesse, & me non esse omnino perfectum, si nulla idea entis perfectioris in me esset, ex cuius comparatione defectus meos agnoscerem?* Postquam item secundam absolvisset demonstrationem, & examinasset qua ratione ideam Dei à Deo accepisset verbis principio paraphri præcedentis allegatis; immediate per modum explicationis sub jungit. *Hoc est, dum in me ipsum mentis aciem converto non modo intelligo*

me esse rem incompletam & ab alio dependentem , remque ad majora , & majora , sive meliora indefinite affirantem , sed simul etiam intellige illum , à quo pendo , majora ista omnia non indefinite & potentia tantum , sed re ipsa infinite in se habere , atque ita Deum esse . Ad ista Adversarius noster paragrapho 11. ita commentatur . Duo , inquit , precipue sunt , qua Cartesius bic docet . Primum , uti mens nostra de cognitione suimet ipsis ad Optimum Maximum Deum ascendat . Secundum , uti cognitio nostra tum demum perfecta soliditate roboretur ex quo Deum cognoverimus . Quantum ad secundum , nullam posse haberi solidam cognitionem antequam Deum existere cognoverimus , Cartesius quidem docet , sed alibi , nempe meditatione 4. adeo ut Adversarius parum attenderit quid hisce locis Cartesius dicere voluerit , cum hæc scriberet . Quantum etiam ad primum , illud quidem in textu posteriore (nam in priore , uti visum , alium non habet scopum quam ut ostendat esse in nobis ideam Dei) breviter inculcat , ut scilicet explicet , (quod per vocabula , hoc est , significatur) quomodo illa imago & similitudo Dei , ad quam nos creaverit , & in qua idea Dei continetur à nobis percipiatur per eandem facultatem , per quam nos ipsos percipimus : verum in præcedentibus illam materiam copiose & solide pertractavit . Utrumque , inquit porro Adversarius , toto pectore lubens admiserim . Tametsi fateor , uti mens nostra de contemplatione suimet ipsis ad cognitionem Numinis O. M. subnatur , macilentiissimam esse dissertationem , si species ad ea , qua vulgo Theologi pariter ac Philosophi non paulo clarius atque copiosius hanc ad rem tradidere . Si bona fide agere voluisset cavillator , non particulas quasdam à toto corpore divulsas exhibere debuisset ; sed integrum orationis contextum , & rationum concatenationem , antequam ista effutiret , & collationem institueret inter Cartesii cogitata hac de re , & aliorum tum Philosophorum tum Theologorum speculations . Non est dubitandum quin omnibus seculis plurimi fuerint , qui Dei causam egregie egerint adversus Atheos : neque illud unquam à Cartesio & Cartesianis in controversiam est vocatum . Illud ego dixi , & etiamnum dico , Cartesium demonstrationibus solidissimis & invictissimis naturalem Dei cognitionem ornasse & illustrasse . Cum vero Adversarius paragrapho 5. promiserit se probaturum , nihil prorsus hanc ad rem ab illo recte vereque dictum esse , quod non dictum copiosissime fuerit prius : & quod argumentationi vulgata Cartesius addidit , meram & vanissimam esse corruptelam , & aliunde tamen hanc ipsam quoque desumptam ; ad istud efficiendum integra Cartesii argumenta erant adducenda , & particu-

latim

latim examinanda; quid minus recte ab eo dictum esset erat notandum & refutandum; & in singulis judicandum, quid ab aliis esset mutuatus, quid corrupisset, atque illud probandum ex ipsorum textuum collatione. Quod hic nullo modo factum est. Locum adducit ex Magni Mornæi libro de veritate religionis Christianæ, ubi capite primo Vir eruditus ita ratiocinatur. Rationem, inquit, quoque adverte, qua longe supra sensus, sensibiliaque attollimus. *Quis intelligibile aliquid esse non comprehendat, cui vis illa intelligendi ex adverso respondeat?* Quod si vero intellectum in nobis ipsis deprehendimus, qui ad universum viæ acini instar sumus, non pudebit dicere, nusquam, praterquam in nobis, rationem aut intellectum esse? Denique cum intellectus vi & virtute ceteras res intelligamus, qua sepe ipse nec intelligent nec cognoscunt, hunc vero ipsum intellectum, qui in nobis intelligit, quid sit, quale sit, unde sit, non intelligimus; an non agnoscemus tandem intellectum aliquem nostro superiorem existere, cujus dono ceteras quidem res intelligamus, at sane qui in nobis intelligat & cognoscat, quæ nos in nobis met ipsis hoc nostro intellectu nec intelligimus nec agnoscimus? Non est dubium, quin ista animadvertisens quispiam, tandem sit agnitus esse aliquem intellectum nostro superiorem, divinum nimirum; præcipue si quædam, quæ scrupulum mouere possent, aliquanto clarius explicitur, & ex rationis principiis, quod facile fieri potest, ulterius demonstrantur. Sed hoc nostri instituti non est. Illud solummodo hic noto, non posse dici Cartesium tertia meditatione suas demonstrationes de Divini Numinis existentia desumisse ex Mornæo, vel ullo modo mentis aciem ad ejus ratiocinationem convertisse. Primum enim Cartesii argumentum desumitur ex eo, quod, cum habemus in nobis ideam Entis infinite perfecti, cuius nos non sumus causa exemplaris, necessario existat Ens infinite perfectum, quod ejus sit causa exemplaris, &c. Secundum vero argumentum petitur ex consideratione durationis mentis nostræ, supposita in ea idea Dei, &c. Non autem ex talibus fundamentis procedit ratiocinatio Mornæi. Adducit quoque locum Platonis ex Alcibiade; cuius, inquit, *vitulæ constat Cartesium haud raro non infeliciter arasse.* Colloquuntur autem ibi Socrates & Alcibiades hunc in modum: Socr. *Oculus ergo, si semet ipsum sit visurus, in oculum respiciat neceſſe est: atque in eum præcipue locum ubi vis atque virtus ineſt oculi. Ceterum is est ipsissima visus acies, pupilla scilicet.* Alc. Sic est. Socr. *Igitur & anima similiiter, o percare Alcibiades, siquidem semet ipsam aveat novisse, in animam uti contueatur ipsa neceſſe est: atque in eum præcipue locum, cui vis atque*

atque virtus inest animæ, sapientia nimirum, & si quid omnino refert aliud, cui simile id ipsum sit. Alc. Mibi quidem videtur o Socrates. Socr. Quicquamne dicere habemus, quod inest animæ divinus, quam illud ad quod scientia spectat & sapientia? Alc. Nihil omnino. Socr. Hoc ipsum igitur in anima simile illi est quod est plane divinum: sive numen ipsum similitudine quadam refert. Et vero quisquis in illud obtutum diriger, cognoveritque divinum quidquid est, nempe Deum atque sapientiam, ita denum & semet ipsum noverit maxime. Præclare hæc dicta esse nemo non agnoverit. Sed hoc probandum erat, uti mens nostra de contemplatione suimet ipsius ad cognitionem Numinis O. M. ascendat, quantum scilicet ad rationum efficaciam & claritatem spectat, Cartesii dissertationem esse magnificissimam præ iis, quæ hoc loco Plato differit: vel eum rationes suas mutuatum esse ex hoc Platonis loco: vel ipsum Platonis dicta corrupisse. Quod sane nemo dixerit qui textus Cartesii ab Adversario superius allegatos contulerit, cum hac Platonis dissertatione. Istud autem non ita accipi velim, quasi putem Cartesium nihil ab aliis mutuatum esse, in suis philosophematis: ipse enim, uti superius vidiimus, testatur, se, postquam ea, quæ tum à præceptoribus, tum ex librorum lectione antea didicerat, ad novum revocasset examen, velle ea omnia retinere, quæ cum rationis lumine convenire postea comprehensurus erat.

VII. Adversarius paragrapho 12. mecum quidem sentit communem Peripateticorum opinionem, statuentium *omnes ideas qua in mente habentur, à sensibus ortum ducere*, prorsum esse abnormem. Sed quod illam imputem effato cuidam Aristotelico, *Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*, protestatur se ita generatim & verbotim apud Aristotelem non legisse. Atque eum quidem libro tertio de Animalibus cap. 8. *inculcare*, ait, *Omnino necesse esse ut contemplantes una cum phantasmate contemplentur, vel simul etiam phantasma quoddam contemplentur: Quin etiam eum ejusdem libri cap. 7. disertim pronunciare, Animæ rationali phantasmata tantundem esse, ac sensibilia sive sensum prioritaria sunt sensibus. Ut prorsum anima sine phantasmate nihil unquam intelligat. Sed vero quemvis etiam puerum facile deprehendere contendit, Aristotelem istis locis non de rebus aliis agere, quam de corporibus extra nos existentibus, quæque sensibus externis percipere necessum habemus: unde adeo quasi facta significacione sensibus externis obveniant, eorumque beneficio deinceps animæ rationali discernenda proponantur.* Adducit quoque Peucerum in eum sensum Aristotelem interpretantem. Ac porro putat se nuper adversus Anonymum,

mum, paragrapho videlicet 74. satis abunde ostendisse, productis verbis omni exceptione clarioribus, Aristotelem intellectui soli quedam vendicare rationali consideratione pensitanda, puraque mentis attentione, tanquam secretiore quodam obtutu, que sensibus externis aut internis haud attinguntur. Illic autem ait Aristotelem disertim pronunciare Posteriorum Analyticorum l. i. c. 31. universalia sub sensum non cadere, ut neque demonstrationes. Platonem etiam hoc loco allegat, qui non tantum statuat animam nonnulla contemplari per se ipsam; alia per corporis organa sive vires apprehendere; sed & speciatim distribuere, quanam illa sint, que per se se contuetur anima, quaque per organa corporis exploret. Unde concludit admodum ridiculos esse Sophistas qui sic nugantur, quasi primus omnium Cartesius hoc arcanum adinvenerit atque revelaverit, esse videlicet nonnulla, que citra corporis organa simplici liquidaque mentis animadversione deprehendantur. Ne hic videar in culpa hærere, & citra rationem alios fecutus accusasse Aristotelem axioma illud vocando Aristotelicum; operæ pretium erit proprius aliquanto inspicere, quænam fuerit Aristotelis super hac re sententia. Lubentissime fateor istud axioma totidem verbis in ejus scriptis non reperiri: neque etiam id opus est, ut Aristotelicum vocari possit: sufficit enim si, quod rem ipsam spectat, ipsum id dixisse possit ostendi, unde alii id axioma vocaverint jure merito Aristotelicum. Et quidem libro primo Posteriorum Analyticorum cap. 15. hæc leguntur: *Illud vero jam propemodum est perspicuum, cui sensus aliquis deficit, necessario scientiam aliquam defutaram, quod eam discere jam ac percipere non posse.* Quidquid enim discitur, aut inductione, aut demonstratione cognoscitur: ac demonstratio quidem rebus universis continetur, induc̄tio ex rebus singulis conficitur. Atque rerum universarum (NB.) citra inductionem haberi cognitione non potest: id quod vel apertissime ostendunt ēae res, qua cogitatione abducta, & ab iis rebus qua sub sensum cadunt separata, non possunt tamen plane ac perfecte intelligi sine inductione. Et quanquam haec res hoc ipso, quod ad sensum traducuntur, non jam quasi abiecta separataque intelliguntur, semper tamen in iis aliqua insunt, qua non nisi hac ratione manifesta fieri possunt. Quis porro est qui sensibus carens, possit (NB.) aliquid inductione perdiscere? Etenim in singularibus versatur sensus. Nam istorum asequi non poterit scientiam: ex universis enim ipsis citra inductionem nil percipi potest, induc̄tio autem non nisi opera sensuum absolvitur. Item libro secundo Posteriorum Analyticorum cap. 18. postquam in præcedenti bus de ratiocinatione & demonstratione quid sint, & quomodo absolventur, generaliter determinasset Aristoteles, docet qua ratione principio-

cipiorum assequamur cognitionem: ac supponens se antea ostendisse, quod nemo scire possit per demonstrationem, quin ante cognita habeat & percepta prima & immediata principia, ita fatur. Sed forte quis ambigere posset, utrum sit eadem principiorum, que aliarum rerum cognitio, nec ne: & utrum harum & illorum cognitio scientia appellanda sit, an vero harum quidem scientia, illorum autem aliud quoddam cognitionis genus, & utrum non insit nobis jam inde ab ortu principiorum habitus, sed usū acquiratur: an vero nobiscum quidem nascatur, sed lateat tamen, nec se statim exercitat. Concludit autem, propter rationem quam allegat ibidem, Perspicuum esse neque simul nobiscum nasci principiorum cognitionem: neque cum antea plane omnium rerum imperiti essemus, nullumque habitum qui ad ista cognoscenda pertineret haberemus, postea usū & temporis processu acquiri. Atque eapropter necesse esse ut ingenita quadam natura vis hujus cognitionis nobis praebeat occasionem: quæ tamen facultas non tam accurate singula perspicere posse, quam certa hæc, minimeque fallax principiorum cognitio. Atque hæc, inquit porro, facultas in omnibus inesse animalibus videtur. Omnibus enim animalibus tribuit natura aliquam ad discernendas dijudicandasque res facultatem, quam sensum appellant. Cumque in hoc omnia animalia convenienter quod sensum habeant: in eo discrimen est inter ipsa, quod ea quæ sensibus objecta sunt, in quorundam animis impressa atque infixæ manent, aliis statim excidunt. Quorum autem animis rerum objectarum species non impinguatur, ea aut nullum plane, aut certe earum rerum quæ animo non retinentur, non habent cognitionem, nisi quo tempore sentiunt. Quæ vero sensuum oblatas impulsiones retinent, ea postquam sentire desierunt, habent etiamnum infixam animo unam quandam rei speciem. Cumque hujus generis multa sint animalia, hic rursus est quadam inter illa differentia, eo quod quicdam sunt, quæ conjunctam habent cum illarum rerum memoria rationem. Alta sunt quæ hujus plane sunt experientia. Oritur ergo, ut diximus, ex sensu memoria: tum ex memoria aliquoties repetita, nascitur experientia: nihil enim aliud est experientia una, quam multæ, ut sic dicam, memorie. Postremo ex experientia, quæ tum est cum est infixæ animo de toto genere pronunciato, aut unus cuiusdam rei notio, quæ sit ipsa quidem præter res singulas, sed in illis tamen omnibus una eademque manens consit: ex ipsa, inquam, experientia (NB.) proficiuntur omnis artis ac scientiae principia. Artis quidem, si ad eas res pertinent quæ oriuntur & occidunt: scientia autem, si ad ea quæ eadem semper sine ulla mutatione permanent. Neque igitur certi cuiusdam generis habitus sunt nobis natura insiti, quibus principia intelligamus, neque ex aliis habitibus prioribus, ac notioribus oriuntur, sed (NB.) sensibus modo tribuenda est.

est hujus cognitionis origo. Et paulo post, Ex iis, inquit, planum est prima initia inductione fieri nobis manifesta: quid enim aliud est profecta hoc modo à sensibus notitia, quam inductio? Quoniam autem omnium qui ratione cernuntur habituum, quibus verum aliquid dicere possumus, alii sunt in quibus perpetua inest veritas, alii in quibus ut falsum dicitur interdum evenit: hujus generis sunt rerum agendarum & faciendarum ratio & opinio. Ex genere autem eorum quae semper vera sunt est scientia & intelligentia; &c. Ex hisce luce meridiana clarius est Aristotelem generaliter docere nullarum rerum, sive singularium, circa quas versatur inductio, sive universalium & à sensibus abductarum, circa quas proprie versatur demonstratio, cognitionem acquiri posse, nisi mediantibus sensibus, imo quod magis est ne quidem primorum principiorum, sine quibus nullæ confici possunt demonstrationes, cognitionem aliter haberi posse. Porro frustra Adversarius contendit Aristotelem libro 3. de Animalibus cap. 7. & 8. tantum agere de corporibus extra nos existentibus, quae sensibus externis percipere necesse habemus, id est, quae sunt singulalia. Agit enim illic generatim de intellectu & intelligendi modo, comprehenditque etiam ea quae abstracta vocantur. Ita enim cap. 8. loquitur. *Cum autem nulla res sit prater magnitudines separata, ut videntur res ipse sensibiles, in ipsis profecto sensibilibus formis ipsa sunt intelligibiles forma, tum earum rerum quae abstracta vocantur, tum eorum etiam sensibilium, quae sunt habitus atque affectus. Idcirco & qui non sentit, nihil discere vel intelligere potest. Et qui contemplatur necesse est una cum phantasmate contempletur: ipsa namque phantasmatata velut sensibilia sunt, attamen sine materia. Est autem aliud phantasma ab affirmatione negationeve. Verum enim vel falsum complexio est conceptuum intellectus. At mentis (NB.) primi conceptus, quo quaso different, ut non phantasmatata sint. An neque cateri sunt phantasmatata, non tamen sine phantasmatibus sunt?* Quod porro Adversarius ait se è cap. 31. libri 1. Poster. Analyt. productis verbis omni exceptione clarioribus contrarium demonstrasse: quia Aristoteles illic dicit, *universalia sub sensum non cadere, ut neque demonstrationes.* Credo ex inadvertentia male caput 31. notatum esse; cum 28. capitibus liber iste absolvatur. Capite autem 25. ad quod hic respici suspicor, hæc leguntur. *Ac ne per sensum quidem ulla oritur scientia, quanquam enim sit etiam sensus talis cuiusdam rei non hujus: quae tamen res actu sentitur, eam necesse est non modo singularem esse, sed & certo quodam loco ac tempore definitam, ipsum autem genus universum, quod in omnibus rebus singulis continetur, sensu percipi nullo modo potest: quando-*

quidem non sit certo quodam loco ac tempore desuitam: aut certe universa res non esset. Nam quod semper est & ubique, hoc est quod universum genus appellamus. Quando igitur universalium rerum sunt demonstrationes, quas non possumus sensu percipere, perspicuum est nos sola sensuum perceptione non posse eujusquam rei scientiam assequi. Verum cum superius ex Aristotele probatum sit, quidquid discitur aut inductione, quæ versatur circa singularia, aut demonstratione, quæ versatur circa universalia, cognosci; nullorum autem universalium citra inductionem cognitionem haberi posse, nullamque inductionem fieri nisi opera sensuum; ita ut etiam universalia à sensibus sint ab juncta separataque, semper tamen in iis aliqua sint, quæ non nisi hac ratione manifesta fieri possunt; nullo modo ex hoc textu probatur quod Adversarius sibi probandum proposuerat. Porro Platonem aliosque quosdam hac de re non male omnino philosophatos esse ante Cartesium non est dubium. Quod autem inde concludat Adversarius admodum ridiculos esse sophistas, qui sic nugantur, quasi primus Cartesius hoc arcanum invenerit atque revelaverit, me non tangit, qui nunquam tale quid umquam dixi, neque Cartesium.

VIII. Paragrapho 13. Adversarius me quidem laudat quod, eadem scilicet thesi, ad profanam Gassendi stupiditatem cohoruerim, cum statuit Deum, qui in sensum cadere non potest, mentem conciperre solere sub idea visi alicujus sensi venerabilis, quam ipsi velut accommodat; sed addit se optasse, *ut mibi temperassem ab insania non ad modum dissimili*, cum nimurum loquor de ideis Cartesianis, & comprimitis idea Dei. Facile est quidlibet per calumniam effutire. Nostrum erit examinare, quæ ad id probandum adducuntur. Locum citat ex Cartesii meditatione tertia, ubi Cartesius ita loquitur. *Quatenus idea cogitandi quidam modi tantum sunt, non agnoscō ullam inter ipsas inæqualitatem, & omnes à me eodem modo procedere videntur. Sed quatenus una unam rem, alia aliam repräsentat, patet easdem ab invicem esse valde diversas. Nam proculdubio illæ, quæ substantias mihi exhibent, prius aliquid sunt, atque, ut ita loquar, plus realitatis objectivæ in se continent, quam illæ, quæ tantum modas, sive accidentia repräsentant. Et rursum illæ, per quam summum aliquem Deum, aeternum, infinitum, omniscium, omnipotentem, rerumque omnium, quæ preter ipsum sunt, creatorem intelliga, plus profecto realitatis objectivæ in se habet, quam illæ per quas finita substantie exhibentur. Jam vero lumine naturali manifestum est, tantundem ad minimum esse debere in causa efficiente & totali, quantum in ejusdem causæ effectu. Nam, queso,*

unde-

undenam posset assumere realitatem suam effectus, nisi à causa? & quomo-
do illam ei dare causa posset, nisi etiam haberet? Hinc autem sequitur nec
posse aliquid à nihilo fieri, nec etiam id quod magis perfectum est, hoc est, quod
plus realitatis in se continet, ab eo quod minus: atque hoc non modo perspicue
verum est de iis effectibus quorum realitas est actualis sive formalis; sed etiam
de ideis in quibus consideratur tantum realitas objectiva: hoc est, non modo
non potest, exempli causa, aliquis lapis qui prius non fuit nunc incipere esse,
nisi producatur ab aliqua re, in qua totum illud sit formaliter vel eminenter,
quod ponitur in lapide; nec potest calor in subjectum quod prius non calebat
induci, nisi à re que sit ordinis saltem àque perfecti, atque est calor, & sic de
ceteris; sed præterea etiam non potest in me esse idea caloris, vel lapidis, nisi
in me posita sit ab aliqua causa in qua tantundem ad minimum sit realitatis
quantum esse in calore, vel lapide concipio: nam quamvis ista causa nihil de
sua realitate actuali, sive formalis in meam ideam transfundat, non ideo pu-
tandum est illam minus realem esse debere, sed talem esse naturam ipsius idea,
ut nullam aliam ex se realitatem formalem exigat præter illam quam mutua-
tur à mea cogitatione cuius est modus, &c. Post hæc, allegata, præmissis
scurrilibus dicteriori, & farcaſticis convitiis tali Theologo dignis, ait me
quoque disputatione 2. de Naturali Dei cognitione Th. 2. philosophi-
cum os ita resolvere. Cum idea dicitur representamen rei in intellectu, duo in
ea diligenter consideranda & distinguenda sunt; proprium, sive, ut vocant,
materiale ejus esse, & esse vicarium seu representativum & significativum: in
idea enim, ut in omnibus signis, est res que ad aliquid significandum institui-
tur, est res que significatur; ita bedera, quatenus est corona ex ramis hede-
raceis complicata, distinguuntur à vino veniali mente apprehenso, quod per eam
significatur. Idea secundum proprium suum esse considerata, est modus quidam
cogitandi, considerata vero secundum esse vicarium, est res cogitata non qua-
tenus extra mentem est, sed quatenus menti representatur, & ab ea intelligi-
tur, quid illa res sit. Idea ut sunt modi quidam cogitandi, modaliter tantum
inter se & à substantia cogitante, cuius sunt modi, distinguuntur, eadem ra-
tione ac figura & motus, que sunt extensionis seu corporis modi inter se & à
corpo modaliter distinguuntur. At quatenus considerantur secundum esse ob-
jectivum, seu representativum, id est, quatenus una representat unam rem,
alia aliam, magna inter eas intercedere potest differentia, quatenus illæ res
que menti representantur, multum inter se differre possunt. Notat quoque
quod disputatione 7. de Nat. Dei cogn. th. 1. dixerim ideas conside-
ratas secundum esse suum vicarium eodem modo inter se differre, quo ipsa
objecta que representantur per eas. Hisce item subjungit argumentum

quo Disputatione 7. Th. 3. Divini Numinis existentiam demonstravi, quod ita se habet: *Omnis idea, qua continet representative positivam aliquam perfectionem clare & distincte, requirit actu necessario causam exemplarem totalem & adequatam ad quam facta est, sive requirit objectum actu existens, quod vel formaliter vel eminenter continet in sece tantam ad minimum perfectionem, quanta est perfectio representative in ea idea. Ait idea Dei continet representative omnem positivam perfectionem sine ullo defectu. Ergo idea Dei requirit actu necessario causam exemplarem totalem & adequatam ad quam facta est, sive requirit objectum actu existens, quod vel formaliter vel eminenter continet in sece omnem positivam perfectionem sine ullo defectu, id est, requirit Deum actu existentem.* Veritatem majoris demonstratam dedi Disputatione 4. Illic enim demonstravi primo nihil nullam posse formari ideam, sive nihil nulla idea posse representari; quia enim nihil nulla attributa, nullam essentiam, nullas proprietates habet, sed omnia negat; non potest esse causa exemplaris sive objectum quod representetur, sive intelligatur. 2°. Demonstravi, quamvis ideæ nostræ pro objectis habeant non tantum actu existentia sub ea forma, qua sunt representative in mente; verum etiam possibilia sub tali forma non existentia, quæ revera in sece considerata sunt nihil; non tamen inde sequi nullam earum idearum esse causam exemplarem, sive nihil esse earum objectum: quia objecta idearum, quæ sunt exemplaria, sive causæ exemplares, quibus ideæ, ut sint talium objectorum ideæ, debent esse conformes, duobus modis iis possunt esse conformes, vel formaliter, ita ut omnia in iis sint eo modo, quo sunt in ideis representative; vel eminenter, sive modo quodam perfectiore & excellentiore. Atque adeo statuo ideas possibilium actu non existentium vel ipsam mentem nostram posse habere veluti causam exemplarem, cum scilicet perfectiones, quæ sunt in ideis representative, ejus perfectionem non excedunt; vel aliam aliquam rem actu existentem, quæ illas ideas in mente nostra excitat, vel facultatem nobis largitur eas formandi, cum scilicet perfectiones, quæ sunt representative in ideis, mentis nostræ perfectiones excedunt. 3°. Ex hisce intuli tantam ad minimum requiri perfectionem formaliter, vel eminenter in idearum objectis, sive causis exemplaribus totalibus & adæquatis, quanta est perfectio representative in ideis: quia si aliqua foret perfectio major in idea representative, quam est in ejus objecto totali & adæquato, idea illa nihil haberet pro objecto, ratione semper majoris istius perfectionis, quod fieri non posse demonstratum.

tum est. Constat igitur de majoris propositionis veritate. Similiter minoris propositionis veritatem demonstravi Disputatione 6. de quo videatur etiam tractatus hujus paragraphus 6. & 16. circa finem. Prolixius aliquanto hæc referre volui, quam allegationibus Adversarii continetur, ut de rei veritate facilius judicari posset. Scurrilia porro scommata & dictaria quæ passim intermiscent, libens transeo; atque hac in parte me victum fateor ab Adversario.

I X. Antequam hæc ad examen revocat; *in antecessum*, inquit, fert *animus investigare breviter unde Cartesius hosce carbones, quasi thesanum, effoderit miser, atque compilaverit.* Atque eum in finem paragrafo 14. & 15. fatis prolixè recenset & examinat variorum Peripateticorum & Scholasticorum diversas sententias de frictiis eorum nescio quibus speciebus intelligibiliis seu ideis Essentia Divinæ in nobis, itemque de speciebus intelligibiliis generatim, tum iis, quæ secundum ipsos cognitioni sive cogitationi præcurrunt, tum iis, quæ per cognitionem fieri dicuntur, & verbum mentis ipsis appellantur. Verum, omissa disceptationis illius repetitione, generaliter tantum noto Cartesianos non minus improbare eorum hac de re nugamenta, quam Adversarium: neque unquam ipsos dixisse essentiam divinam à parte sui specie aliqua intelligibili indigere, quæ cognitioni sive cogitationi præcurrat, per quam sepe cognoscendam nostris mentibus insinuet. Apertissime enim & simplicissime sine ullis involucris statuunt Deum Optimum Maximum, mentem humanam creando substantiam cogitantem, sive per cogitationem sibi ad existendum sufficientem, eam instruxisse per suam bonitatem facultate innumeris diversis modis cogitationem suam formandi, ut innumeræ diversæ res possint intelligi, & inter cætera etiam ita formandi, ut per eam intelligeremus, quid ipse sit, sive eum nobis repræsentaremus. Quod porro Adversarius circa finem paragraphi 15. (ut probet nimis contra Peripateticos essentiam Dei per se cognoscendam, sine specie intelligibili à parte sui, animis nostris illabi) adducit, illud omne Cartesiani toto animo amplectuntur. *Tum quid, obsecro, inquit, cogitamus aut cognoscimus, quando Deum sive divinam essentiam cogitamus aut cognoscimus? An non illud quo nihil intelligi potest majus meliusque?* Imo cui nihil simile aut secundum? A quo nempe alia distant quacunque pars angelis infinitus? *Vet distinctius etiam rem eternam, immutabilem, omnisciam, omnipotentem?* Atqui hoc ipsissimum Deus est sive divina essentia. Hoc, inquam, Cartesiani toto animo amplectuntur. Imo talis cogitatio, qua ita intelligimus, &

cognoscimus Deum, Cartesio & Cartesianis est ipsissima idea Dei; neque ullam aliam agnoscunt. Notandum præterea est, cum ita de natura idearum, tum Dei, tum aliarum rerum, philosophatus est. Cartesius, eum noluisse eam doctrinam, veluti novam, sibi tanquam primo inventori vindicare, sed illud solummodo proposuisse quod omnibus etiam simplicissimis idiotis per se est manifestum; quodque ii, qui in omnibus nescio quas subtilitates absconditas, & mysteria, ubi non sunt mysteria, querere solent, ut supra vulgus sapere videantur, suis figuris miserum in modum obscurarunt, & corruprunt. Quod & in plurimis aliis factum esse, infinitis exemplis, si illud jam ageretur, per totam Philosophiam ostendi facile posset.

X. Paragrapho 16. Nugator noster ostensurus, quid Cartesius, & quam enucleato cum judicio de Scholasticorum & Peripateticorum lacunis, ideam Dei quod spectat, & existentie Numinis exinde subductam demonstrationem, in suam Philosophiam retulerit, hac ratione suo more philosophatur. Est, inquit, ubi non obscure riederi possit ideam sacre talem quandam imaginem, seu tale representamen, quod cognitioni præcurrat. Cum nimirum Meditatione 3. circa finem dicit ideam Dei nobis esse innatam, & creando divinitus inditam, ut sit tanquam nota artificis operi suo impressa, &c. Verum cum superius paragrapho 5. ostensum sit per ideam Dei innatam, & creando mentibus nostris inditam, aliud nihil intelligi quam facultatem à Deo nobis datam, ideam Dei actualem formandi, non nisi absurdâ hæc est & prava mentis Cartesii detorsio. Sed porro subdit homo noster, me omne dubium tollere Disputationis prima thesi 4. adducto Vossio veluti causa Cartesiana faventissimo: quia pronunciarerit, ideam dici quasi ad quam intueri oporteat, ad dignoscendum aut imitandum. Respondeo me summopere Adversarii impudentiam mirari, qui audeat hoc nomine mihi affingere, quasi probare voluerim tales ideas, sive representamina rerum, quæ cogitationi seu cognitioni præcurrant ad modum Peripateticorum. Ego istuc loci Vossium adduco, ut contra Adversarios, quos oppugno, probem vocem ideæ ipsi non tantum significare tale representamen in mente, quod proponitur ad imitandum, sed etiam qualecumque representamen theoreticum. Vossium porro non loqui de idea, quæ omnem cogitationem sive cognitionem antevertit, manifestissimum est. Quomodo enim quisquam imitari posset aliquid, quod actu non cognoscit, & de quo non cogitat? Et cum dicit, quod ad ideam intueri oporteat ad dignoscendum, idem dicit, quod Cartesiani semper inculcant, nempe,

tempe, ideas esse normas ad quas omnia nostra judicia sunt expendienda; ita ut ea sola statui possint alicui rei convenire, vel non convenire, quæ per actualem ideam seu cognitionem deprehendimus in ejus natura contineri vel non contineri. Post hæc in fine paragraphi dicit alibi tamen Cartesium ideam Dei clare satis explicare cognitionem Dei, scilicet actualem, & conceptum de Deo, me quoque vocem conceptus adhibere ait; at Claubergium conceptus & cogitationis de Deo vocabula frequentre. Imo nunquam aliter explicuimus, cum absolute eam consideramus. Hactenus res bene valde successit Disputatori nostro, & majora proculdubio in sequentibus præstabit.

X I. Paragrapho igitur 17. aggreditur examen locorum paragrapho 13. ab ipso allegatorum, quæque paragrapho 8. ex ipso repetii. *Enimvero, inquit, longam telam aranearum atque inaniarum aliquantulum retexamus. Illud primum observo, distinctionem inter esse proprium seu materiale idearum, & esse representativum seu vicarium, esse desumptam ab imagine Scholasticorum, Aureoli, Capreoli, ac similium, &c. Quidquid sit de istorum auctorum hac de re sententia, ejusque tum convenientia, tum discrepantia cum Cartesiana sententia, de qua ex sequentibus jucicari poterit; dico Cartesium illam distinctionem desumisse ex ipsa rei natura. Et quis credidisset aliquem sanæ mentis eam repudiaturum? Omnes enim norunt cogitationes nostras, quæ sunt mentis accidentia sive modi prout absolute considerantur ratione suæ naturæ, sive secundum suum esse proprium, & materiale, nobis significare rerum naturas, quæ per eas intelliguntur & cognoscuntur: ea enim ratione eadem cogitationes dicuntur considerari secundum esse suum vicarium seu representativum. Sed ineptias Adversarii proprius aliquanto inspiciamus. Quod, inquit, uno velut ore contendunt (Cartesius nimirum, Claubergius, & ego) ideas inter se magis aut minus à se invicem differre ac distare, quoad esse representativum, sive vicarium, uti vocant, prout à se invicem distant atque differunt res, qua cogitantur atque concipiuntur, & in animis hominum, uti cupiunt, representantur, intelligi non potest aliter, ideam Dei quod attinet, si cum reliquis ideis quibuslibet illam compares, quam secundum convenientiam univocam inter ideam Dei, quoad esse vicarium in mentibus nostris, atque inter ipsum Deum. Ut idea Dei, quatenus est imago, si superis placet, atque representamen Dei, quidditative, hoc est, essentia liter, sit ejusdem quidditatis cum essentia Dei, non alio discrimine quam in essendi modo, reali scilicet, aut intentionalis, seu representativo. Sed &, inquit porro, inobservatum speciatim dimittere non oportet, quod ego sc. admordum*

dum ingenue inculco, *ideas*, quoad esse vicarium seu repræsentativum & significativum eodem modo inter se differre, quo ipsa objecta, qua repræsentantur per eas. Unde illud omnino consequitur, quemadmodum Deus ab aliis entibus quibuslibet infinite distat; ita non minus in hominibus ideam Dei sive imaginem atque repræsentamen ab ideis aliarum rerum omnibus infinite prorsum distare. Quoties igitur cunque formamus ideam Dei, si Viro Cel. (mihi scilicet) creditur, imo si Cartesio creditur, Deum quempiam facimus infinitum, seu vice Deum, sed intentionalem. Atque ut ostendat zelum suum pro Dei scilicet gloria. Plane, inquit, haec mihi cordi sunt. Nec enim de lana caprina disceptatio ventilatur. Et vero fateor, dum hec mysteria vanitatum horrenda penitus expendo, mibi quidem circum praecordia gelidum cruentum decurrere. Protestationibus istis nullo modo deterreor, utpote qui sum certus in iis, quæ à Cartesio, Claubergio, & me sunt dicta, nihil contineri, quod non ad amissim cum veritate congruat; & jam à multis annis didici illum agendi modum huic hominum generi esse valde familiarem, ut cavillationibus, & fucis suis speciem, si quam possint, concilient. Sed ad rem. Superius notatum est Cartesium & Cartesianos per ideam Dei aliud nihil intelligere, quam talem cogitationem de Deo, per quam intelligimus & cognoscimus Ens infinite perfectum, quamque ipse adversarius concessit in mente nostra esse. Porro cum Cartesiani dicunt ideas, secundum esse repræsentativum seu vicarium consideratas, magis aut minus inter se se differre, prout res, quæ cogitantur aut concipiuntur, inter se se differunt, siue, uti ego locutus sum, eodem modo inter se differre, quo ipsa objecta, quæ per eas repræsentantur, nihil dicunt, quod non ab omnibus, qui ad rem ipsam attendere consueverunt, & futilibus cavillationibus indulgere nolunt, admittitur. Nemo enim negare potest, quin per ideas sive conceptus rerum in mente existentium, naturæ rerum nobis repræsententur, sive per eas à nobis percipiatur & cognoscatur, quid illæ res sint: alias enim omnis rerum cognitio à mente tollitur: quippe quæ aliter in mente esse non possunt, ut cognoscantur. Neque ullo modo, quenam inter res varias intercedat diversitas cognosci potest, nisi per ideas earum in mente existentes per quas singulis attribuimus, quæ in earum ideis contineri intelliguntur, ac de iis negamus, quæ in earum ideis non contineri deprehenduntur. Exempli gratia, cum ad ideam Trianguli attendo, & animadverto in ea contineri tres angulos æquales duobus rectis, affirmo triangulum talis esse naturæ. Similiter cum ad ideam quadranguli attendo,

&

& deprehendo in ea contineri quatuor angulos æquales quatuor rectis, affirmo quoque quadrangulum talis esse naturæ. Porro instituta collatione inter utriusque figuræ ideas nego triangulo convenire, quod ejus anguli sint æquales quatuor rectis, & quadrangulo, quod ejus anguli sint æquales duobus rectis. De aliis quibuscumque idem esto judicium. Cum igitur rerum diversitates, solummodo per earum ideas cognosci possint, extra omne dubium est ideas rerum consideratas secundum esse suum repræsentativum, quod habent in mente, sive secundum esse suum vicarium magis vel minus, imo eodem modo inter se differre, ac ipsa objecta inter se se differunt: non quod sit in mente entitas quædam seu realitas quaæ univoce conveniat cum ipsis objectis, sed quod per cogitationes sive ideas menti repræsentetur & ab ea intelligatur, quænam sit natura objectorum. Et nisi rerum diversitates forent in mente repræsentative, quomodo, quæso, objectorum diversitates possent cognosci? Quod autem Adversarius contendit hanc doctrinam aliter non posse intelligi, ideam Dei quod attinet, si cum reliquo ideis quibuslibet illam compares, quam secundum convenientiam univocam inter ideam Dei, quoad esse vicarium in mentibus nostris, atque inter ipsum Deum. Ut idea Dei, quatenus est imago, atque representamen Dei, quidditative, hoc est, essentialiter, sit ejusdem quidditatis cum essentia Dei non alio discrimine quam in essendi modo, reali scilicet aut intentionalí, seu representativo. Quodque postea addit ex meis dictis illud omnino consequi, quemadmodum Deus ab aliis entibus quibuslibet infinite distat; ita non minus in hominibus ideam Dei sive imaginem atque representamen ab ideis aliarum rerum omnibus infinite prorsum distare. Atque inde concludit, quotiescumque formamus ideam Dei, Deum quempiam nos facere infinitum, seu vice-Deum, sed intentionalem. Ad illa respondeo 1°. Cartesianos objectiones istas non magis tangere, quam ipsum Adversarium, cum statuit, uti paragrapho 9. visum est, quando Deum sive divinam essentiam cogitamus aut cognoscimus, nos illud cogitare & cognoscere, quo nihil intelligenti potest majus meliusque. Imo cui nihil simile aut secundum. A quo nempe alia distant quæcumque parasangis infinitis. Vel distinctius etiam rem aeternam, immutabilem, omnisciam, omnipotentem. Aliam enim ideam Dei sive repræsentamen Cartesiani non agnoscunt; & non nisi per summam calumniam aliud quid iis affungi potest. Respondeat igitur sibi ipsi ca-villator. 2°. Ne forte cuiquam occasione harum objectionum hæreat scrupulus, considerandum est omnes ideas secundum Cartesium aliud nihil esse, quam accidentia seu modos quosdam cogitandi, modaliter

ter vel accidentaliter à mente , sive cogitatione , quæ absolute considerata mentis essentiam constituit , & inter se se distinctos : atque adeo talem esse earum naturam , ut nullam aliam ex se realitatem formalem exigant , præter illam quam mutuantur à mente seu cogitatione , cuius sunt modi . Cum porro eadem ideae considerantur secundum esse suum repræsentativum , per id earum essentia non immutatur , neque nova aliqua entitas seu quidditas , & realitas ipsis superadditur ; sed tantum considerantur cum respectu ad objecta , quæ per eas cognoscuntur , & intelliguntur ; & ad quæ cognoscendum , & intelligendum à natura , seu potius ab Auctore naturæ , sunt ordinatae : ita ut , qui mentem seu rem cogitantem condidit , censendus sit constituisse per suam potentiam & sapientiam , ut per varios cogitandi modos sive accidentia mens tot varia objecta cognosceret & intelligeret fine ulla alia entitate vel imagine , univoce , vel non univoco objectis conveniente , uti nugator hic fingit : & per consequens etiam ut per certum cogitandi modum intelligeremus & cognoscemus quid sit Deus . Ex quibus manifestissimum est ridicula esse hujus Sophistæ figura , quæ objicit de convenientia univoca inter ideam Dei quoad esse vicarium , & ipsum Deum ; cumque ideam Dei formamus , Deum quandam nos facere infinitum , seu vice-Deum sed intentionalem . Utinam mi homo hac tibi potius cordi fuissent , & cum talia vanitatum mysteria fingere essem aggressus , gelidus tibi circum præcordia crux decurrisset , proculdubio non perrexisses ista talia adeo temere effutire .

X I I . Paragrapho 18. Adversarius , post protestationem de commiseratione qua affectus est erga Claubergium , ait prorsus ab omni memoria seculorum nihil stultius excogitatum fuisse , quam illud esse duplex idearum sive cogitationum nostrarum , formale seu proprium , & repræsentativum sive vicarium . Atqui tamen libro de cognitione Dei & nostri , exercitatione 7. paragrapho 4. Claubergium ideam , secundum esse vicarium , esse aliquid reale , sic probare . Per quod differt , & valde differt una idea ab altera (ita , verbi gratia , ut cogitationes aliae dicantur sublimes & excelsæ , aliae humiles & plebeiae , aliae divinae , aliae diabolicae , aliae idea de caelo , aliae de sole , aliae de pulvere , &c. quatenus nimirum tales aut tales res repræsentant) illud est aliquid reale in ipsa idea . Si enim nihil esset , non posset facere tantam differentiam , nec perfectior ac nobilior tum foret cogitatio de reo potentissimo cognitione de terra pulvisculo : si nihil esset , inquam , in idea rei , sive in cognitione quam habeo de re , nam in re cogitata nihil ponit , aut tollit .

tollit. Atqui per illud esse vicarium una idea differt ab altera. Ergo. Scurra autem noster arbitratur ne vel minimum in comedia quicquam magis unquam aut eque ridiculum proferre potuisse. Ac negat minorem, videlicet, ideas, id est, cogitationes nostras à se invicem differre ac valde differre per istud esse vicarium seu repräsentativum. Quippe cum nihil aliud hoc sit, quam purum putumque figuratum, & nūgamentum otiosissimum. Atque licet, inquit porro, idea secundum esse proprium & formale, quod solum est illarum & unicum esse, nihil aliud sint, quam cogitandi scilicet modi; non tamen perinde sequitur eos modos à se invicem nihil differre secundum hoc ipsum esse proprium & formale: licet, inquam, ista generali notione, quod modi sint cogitandi, sive cogitationes inter se conveniant. Nam & in corporeis figurae generatim sane nihil aliud sunt, quam quidam modi: neque tamen eadem est pulchritudo modorum omnium & concinnitas; etiam citra ullum esse vicarium sive repräsentativum. Nempe cogitationes nostra sive ideas differunt à se in vicem objectis, & peculiari sua modorum ratione, qua feruntur in objecta, deque iis afficiuntur. Respondeo 1°. Quantum ad Claubergii propositionem minorem, satis constat ex statim dictis eam esse verissimam, nisi omnem cognitionem diversitatis rerum tollere velimus. 2°. Concedo ideas nullum aliud esse absolutum habere, quam quod sint cogitandi modi à mente, & inter se modaliter distincti; eodem modo ac variae corporis figurae à corpore & inter se modaliter distinguuntur. Verum quemadmodum, si diversae figurae instituerentur ad res valde diversas significandum, tum præter proprium illarum figurarum esse, per quod à corpore & inter se modaliter distinguuntur, deberet considerari ulterius esse eorum significativum quod acquisiverunt, ratione cuius aliter distinguerentur: ita etiam, cum à natura, sive à Deo naturæ auctore, diversi cogitandi modi ordinati sint ad objecta valde diversa significandum, ita ut per eos eorum naturas diversas intelligamus & percipiamus, statuendum est eo respectu eos aliter, quam si considerentur secundum esse suum proprium & absolutum, id est ut simpliciter sunt mentis modi, inter se distingui. 3°. Cum adversarius dicit, ideas à se invicem differre objectis, & peculiari sua modorum ratione, qua feruntur in objecta, deque iis afficiuntur: si iis verbis intelligat ideas à Deo esse institutas, sine ulla alia entitate absoluta superaddita, in signa, per quæ diverforum objectorum naturas intelligimus, totum concedit quod Claubergii propositione continetur; illud enim solummodo est esse idearum repräsentativum quod sane non est nihil. Aliud autem illud esse repräsentativum sive vica-

rium, quod ipse Cartesianus per calumniam affingit, ipsi non agnoscunt, neque unquam occasionem dederunt unde quis merito suspiciari possit ipsostale quid statuisse.

X I I I. Claubergius porro ut illustraret ea quæ dixerat de idearum differentia, quatenus considerantur secundum esse suum vicarium, ultra differentiam, quæ inter eas intercedit, ut sunt modi cogitandi, exemplis variis utitur ab aliis rebus petitis, quæ significandim aliquam habent. Sic *vocabulum Jebovah*, inquit, *sancius & majus & nobilis quid est, quam nomen Titii vel Caii, non propter litteras & syllabas, in quibus consistit vocabulorum illorum esse proprium: sed propter significations, in quibus consistit eorundem vocabulorum esse vicarium.* Quamvis hoc exemplum sit manifestissimum, & ad rem præsentem illustrandam valde idoneum, non deficit tamen Adversario cavillandi occasio. *Profecto*, inquit, *multum hec diversa sunt, imaginem sive representationem esse cuiusdam rei, vel esse vicarium alicujus rei gerere, præter ultraquæ suum esse proprium: & simpliciter aliquam rem significare, nimirum ex instituto Divino humanove.* *Quod si tamen Vir Præclarus hoc vult, etiam nomina justas esse rerum imagines, & præter suum esse proprium & formale, per quod si viva voce proferantur, soni sunt, si scribantur, figura, insuper quoque rerum esse vicarium gerere, seu representativum;* O Deus itaque Cartesianorum vicarios intentionales non modo, sed & nominales? Respondeo me impudentiam hujus hominis satis mirari non posse; cum ubivis supponit, quasi Claubergius & Cartesiani talia constituant in mente humana representamina, imaginesve rerum, quæ similitudinem ratione suæ essentiæ habeant cum rebus representatis; & quasi in mente foret idolum aliquod, uti postea loquitur, Dei: contrarium enim ex retro dictis satis est manifestum. Deinde quæ, quæso, ratio esse potest suspicandi, quod Claubergius voluerit etiam nomina justas esse rerum imagines? Porro manifestum est ex iis, quæ dicta sunt, Claubergii comparationem optime procedere, quod quemadmodum vocabula aliter inter se se differunt, quatenus considerantur, ut sunt litterarum certæ figuræ, vel soni, quam quatenus considerantur ratione suæ significationis; ita ideas aliter inter se se differre, quatenus considerantur, ut sunt mentis quidam modi, quam quatenus considerantur, ut per eas ex Dei ordinatione intelligamus quid sint objecta, quæ per eas representari dicuntur. Sed forte vocabulum representandi talem non admittit sensum. Respondeo ipsum Adversarium paragrapho 20. protestari se prorsus non abnuere representandi verbum: *siquidem*

siquidem nihil aliud significet quam quocunque modo praesens aliquid sistere.
Per illud autem , cum de ideis loquimur , aliud nihil intelligi potest ,
quam per ideas intelligi & percipi quid sint objecta , & per ideam Dei
intelligi quid sit Deus.

XIV. Utitur etiam Claubergius ibidem hoc simili . *Sic , inquit ,*
homo ab homine non differt qua homo ; sed quatenus unus est loco Dei in ter-
ris , alias loco principis in castris , alias vice consulis in tenui municipio , alias vice
regis in amplissimo regno , magna est inter istos homines differentia , magna in-
equalitas . Homines nimis , si considerentur simpliciter ut sunt ho-
munes , id est , ratione esse sui proprii & formalis , sunt æquales . Ve-
rum si considerentur quatenus certam habent relationem , ita ut aliis
sit loco Dei , alias loco principis , &c. id est si considerentur secun-
dum esse suum vicarium quod acquisivere , magna inter eos interce-
dit differentia . Eadem ratione in ideis se res habet . Quid ad ista Ad-
versarius ? Post scurriles facetias satis liberaliter exhibitas , ad sophisti-
cationes suas uti solet , accedit . Qui vehementer , inquit , aliquid
optant , sepe solent in hoc ipsum sic animum intendere , uti ne quidem videant
quaæ sint ante pedes . Quod in ista disquisitione Claubergio contigisse , manife-
stum facit pudenda cavillatio . Sic , inquit , homo ab homine non differt , qua
homo . Quin & animal , inquam , ab animali non differt , quatenus animalia .
Indene sequitur animalia variorum generum inter se non differre , nisi per
eæ quoddam vicarium & representativum ? Quin & esse vicarium sive re-
presentativum , qua tale , communis notione , non differt ab esse vicario seu re-
presentativo . Verum anne singuli homines ab aliis , obsecro , non differunt , nisi
per esse quoddam vicarium & representativum ? Liceret differentia pra-
cipua differentie posse superaccedere . Sic neque dubium esse debet , quin ab
ideis & cogitationibus idea seu cogitationes itidem differant , citra factum
illud esse vicarium seu representativum . Non credo unquam insulsas ma-
gis & ridiculas cavillationes auditæ esse , quam hæ sunt . Claubergii
enim , uti ex contextu orationis manifestum est , intentum est ostendere , liceret
inter homines consideratos ratione sua naturæ , nulla intercedat differentia seu inæqualitas , magnam nihilominus inter eos
dem posse oriri differentiam sive inæqualitatem , ex eo quod aliorum
vices sustineant : estque omnino ad hanc rem impertinens , quod &
aliunde , citra illud esse vicarium , possit inter eos diversitas constitui :
non enim de eo disputatur . Judicet Lector utrius philosophatio Clau-
bergii , an Adversarii dicenda sit pudenda cavillatio .

XV. Claubergius similiter Exercitatione 8. comparationem desu-

mit à pictura. Nulla pictura, inquit, potest esse sine exemplari. Atqui idea est quedam pictura rei in mente. Ergo non potest esse sine exemplari. Cartesius Med. 1. fatendum est visa per quietem esse veluti quasdam pictas imagines, que non nisi ad similitudinem rerum verarum singi potuerunt; nam sane pictores ipsi ne tum quidem, cum Sirenas aut Satyriscos maxime inusitatis formis singere student, naturas omni ex parte novas iis possunt assignare, sed tantummodo diversorum animalium membra permiscent. Sic omnis in mente nostra imago requirit aliquid quod imitetur, unde desumatur & exprimatur. Pictor pingit regem Gallie, & sic est causa efficiens pictura sua, si consideres ipsos linearum ductus quatenus à manu ejus pendent: ita mens humana de Deo cogitat, & est causa efficiens illius cogitationis sive idea, si species ipsam mentis operationem & actum, qui est cogitare, cum sit res cogitans, ut hominis illius, cum pictor sit, actio est pingere. Pictor non potest pingere regem Gallie, nisi eum viderit aut certe imaginem ejus, quia suum qualibet pictura exemplar postulat: ita mens humana non potest formare ideam Dei, nisi Deum ipsum viderit, aut certe imaginem ejus (hanc autem in semet ipsa invenit) quod alias exemplar haberet? Hactenus Claubergius. Nunc Adversarium audiamus. Is paragraphe 19. post virulentas exclamaciones, quas facile contemnere didici, ita porro ineptias suas effutit. Certe non altera imago regis intelligitur, quam synecdochice. Non enim plane totius regis est imago. Non utique mentis regiae, non corporis integri: sed externa duntaxat figure, de qua proinde secundum imaginem ejusmodi recte cogitaveris. At homo dicitur imago Dei, sive imaginem Dei gerere, nec absoluta proprietate loquendi, nec vel synecdochice quidem, sed equivoce prorsum, vel, si maiis, analogice. Nemo sanx mentis, quin hæc omnia vera sint, unquam dubitavit. Sed quid tum postea? Quapropter, inquit, si secundum hanc imaginem de Deo cogitationem formaveris, & conceptum de Deo talibus angustiis adstrinxeris, hominem pro Deo cogitaveris, vel ex Deo finixeris hominem, vel hominem ex Deo. Respondeo, Imago Dei prout spectatur in homine, qualem Philosophi considerant, consistit in facultatibus à Deo homini concessis, earumque recto usu, tum in acquisitione cognitionis rerum, tum in vita regimine. Ejus autem pars, & quidem præcipua, est facultas formandi ideam Dei, & actualis ejus idea inde promanans, per quam eum percipimus & intelligimus infinite perfectum, ac porro cognoscimus necessario ipsum existere, esse rerum omnium creatorem, &c. Cum secundum hanc facultatem, quam comprehendit imago Dei, de Deo cogitationem formamus, neque hominem pro Deo cogitamus neque ex Deo singimus hominem; uti

Sophista hic nugatur, sensum verborum Claubergii prave detorquendo: sed cogitamus eum, sicuti ipse se nobis cogitandum dedit, sive videndum in sua imagine. Subjicit præterea, *Quia Deus in homine dedicavit illufbriorem quandam similitudinem sui, pre reliquis omnino creaturis omnibus, unam si naturam se posueris Angelorum, ideo dici hominem factum ad imaginem & similitudinem Dei, hoc est, ad imaginem Dei simillimam.* Tametsi, inquit, vel sic quoque homo non aliam gerit imaginem Dei, quam infinita distantia degenerem, quaque infinitis modis infra Deum subsidat. Nemo Cartesianorum quicquam horum unquam negavit. Quod vero inde concludit, *plane stultissimum esse, quia Deus ad imaginem sui crevit hominem, ideo vici sim, quasi redhostimento, velle Deum ad imaginem nostri cogitando nobiscum effigiare.* Istud Cartesiani non tantum stultissimum, sed & quam maxime impium esse unanimiter facile concedent; addentque se justissimam habere conquerendi causam de atrociori injurya, qua quis per summam calumniam ipsis sciens volensque contrarium affingit. Illud porro verissimum esse, ait, *mentem humanam, quando semet accurate considerat, facili negotio percipere, quam fructa sit, quamque curiam possideat supellectilem, & vero se se neutiquam habere perfectiones omnes, aut omnem eminentiam perfectionum.* Sed neque minus in propatulo esse fatetur, *hanc ejuscmodi perceptionem, proculdubio, secum involvare perceptionem aliquam omnium perfectionum, & omnis eminentia perfectionum.* Sed arbitratur nihil istud jam pertinere ad rationem imaginis, *qua de disputatione inspræsentiarum, uti paulo post, inquit, fiet manifestissimum.* Quod hic Adversarius ut verissimum admittit, totum ex Cartesio est desumptum, uti ex superius allegatis videre licet, neque unquam occasionem præbuere vel Cartesius, vel Cartesiani, unde quis suspicari posset, aliam ipsorum esse mentem. Ita ut putidissima sit calumnia, cum dicit istud nihil pertinere ad rationem imaginis, de qua impræsentiarum disputatur. Cartesius quidem, Claubergius & ego indifferenter utimur vocabulis conceptus, perceptionis, repræsentaminis, idæ, imaginis, &c. quia ab aliis jam erant frequentata, in hac materia, uti & antea notatum est. Sed aperte declaramus definitione in quo sensu ea usurpemus. Verum quia promittit quod dixerat, se paucilo post facturum manifestum, aliquantis per expectandum erit, intermixtus que sequuntur ad examen revocanda sunt.

XVI. Eodem igitur paragrapho Adversarius ex Claubergii exercitatione 9. sequentia allegat. *Idea, inquit ille paragr. 5. substantia infinite, hoc est, ejus substantia, qua omnes omnino perfectiones cogitabiles*

per-

perfectissime possidet, in se continet ideam substantiae finita, hoc est, ejus substantiae quæ aliquas tantum perfectiones minus perfecte accepit (eo fere modo, quo minor numerus in majore seu potius in maximo continetur, & aliqua perfectio in omni comprehenditur, unitas in multitudine infinita.) Sed non vice versa in idea substantiae finitæ continetur idea substantia infinita, ut patet. Ista hactenus tanquam optime dicta approbat Adversarius, & lubens, inquit, equidem calculum adjecerim. Quod mirum mibi accidit in illo homine, qui cuncta fere malignis dentibus arrodere consuevit. Pergit porro Claubergius paragrapho 6. *Quia tamen non finitum esse, si recte consideretur, negationem & absentiam infiniti designat, hinc sequitur quod eo ipso quo mens nostra se cognoscit præcise sub hac conditione, quatenus finita, jam presupponatur etiam in se habere ideam infiniti, non quod ipsa mens nostra hujus idea causa exemplaris sit, (hoc enim est quod negamus) sed quod sub ideam quodammodo negativam (qua cogitat se non habere omnem scientiam, non habere maximam potentiam, non habere perfecta omnia) nequeat habere, nisi jam ante (si non temporis, saltem naturæ ordine) ideam omnino positivam infiniti (qua sibi representat omniscientiam, omnipotentiam & perfectissima queque) in se habeat. Hisce gemina, ait blatero noster, garri- verat etiam Cartesius meditatione 3. Verba Cartesii hæc sunt: *Quamvis substantia quidem idea in me sit, ex hoc ipso quod sim substantia: non tam idcirco esset idea substantiae infinite, cum sim finitus, nisi ab aliqua substantia, qua revera esset infinita, procederet. Quantum priora placuere Adversario, tantum ipsi hæc displicant. Hæc, inquit, ni fallor, istuc recidunt; substantiam finitam non continere ideam infinitæ substantie: veruntamen omnino sane illam continere: ceterum uti contineat, non à semet ipso quidem habere, sed ab infinita substantia, nimirum à Deo, veluti causa, sicuti opinor, exemplari. Plane, quasi ego dixerim numerum scilicet minorem non continere numerum majorem; veruntamen & illum revera continere: ceterum non habere hoc, uti contineat, à semet ipso, sed aliunde, nimirum à numero majore. Sed, porro addit, & rursum dico, quæ, malum, hæc nugatio est? Substantia finita non continet ideam infinitæ substantie: nihil minus uti substantia finita contineat ideam substantiae infinitæ, penitus institutum habet ab infinita substantia. Quasi nempe quicquam haberet finita substantia, quod ab infinita substantia non haberet, veluti causa, tum efficiente, tum exemplari! Quid imo ne singi quidem potest, citra turpissimam contradicitionem, creatura rationalis & intelligens, quæ non contineat ideam Dei, hoc est, notiones connatas & anticipationes de Deo, sive facultatem eliciendi cogitationem de Deo. Quid enim? anne singi potest intelligens illa creatura,**

que

que non facile dignoscatur, sese non pollere infinita sapiendi perfectione? Vel
anne resorberi potest manifestissima veritas? Videlicet eam cogitationem de
non omni sapientia, de non omnipotencia, de non omni bonitate, necessario se-
cum involvere cogitationem de sapientia, potentia, bonitate prorsus omnigena,
neque minus eminentissima. Nec enim aliter ideam Dei capio. Ceterum
ideam Dei Cartesianam, qua sit in humana mente quedam imago, sive re-
presentamen, & idolum Dei, quaque tantum distet ab ideis altiarum rerum,
quantum res ipse distant à se invicem, infinite scilicet, quia res ipse distant in-
finite, quemadmodum retro vidimus: quaque finita quidem sit quoad esse pro-
prium, sed infinita quoad esse representativum, sicuti meus homo celeberrimus
(ego nimirum) innuit, disputatione 6. th. 4. talem ideam Dei toto pectore
detestor. Talis, inquam, idea Dei computatio Dei potius est. Respondeo 1°.
Claubergium toto isto discursu manifestum est hoc agere, ut probet
licet idea substantiae finitae non contineat ideam substantiae infinitae;
attamen ex eo, quod mens nostra sui tanquam finiti habet ideam,
sive ex eo, quod mens nostra se cognoscit præcise sub hac conditione,
quatenus est finita, sequi eam jam habere ideam infiniti, cuius ipsa
non potest esse causa exemplaris. Similiter Cartesius docet in mente
nostra non fore ideam substantiae infinitae, ex eo quod suimet ipsis,
substantiae nimirum finitae, idea habeat, à qua illa tanquam à cau-
sa exemplari procedere non potest; sed requiri ut ea procedat ab ali-
qua substantia, tanquam causa nimirum exemplari, quæ revera sit
infinita. Hoc sane non est dicere, ut homo noster per calumniam
interpretatur, substantiam finitam non continere ideam substantiae
infinitae; veruntamen omnino illam continere; ceterum uti conti-
neat, non à suemet ipsa quidem habere, sed ab infinita substantia, vel
uti causa exemplari, &c. Judicet æquis lector. 2°. Anne Deus po-
tuissest creaturam rationalem creasse, cuius cognoscendi facultas adeo
arctis limitibus esset circumscripta, ut ad suuctorem suæ originis non
posset assurgere, nihil ad Cartesianos referat, qui semper protestantur
cognitionem Dei nobis esse innatam, illamque agnoscunt ideam Dei
quam Adversarius hic admittit, cuiusque probandi modum ex Car-
tesio desumpsit. Neque aliam etiam ideam Dei captiunt, uti ex hac
tenus disputatis est manifestum. Quod porro adversarius dicit ideam
Dei Cartesianam talem esse, quæ sit in humana mente quedam imago, sive
representamen, & idolum Dei, quaque tantum distet ab ideis altiarum re-
rum, quantum res ipse distant à se invicem, infinite scilicet, quia res ipse
distant infinite: quaque finita quidem sit quoad esse proprium, sed infinita
quoad

quoad esse representativum, sicuti ego immo disputatione 6. thesi 4. Ad id superius paragrapho 11. satis est responsum, ac ostensum, si quæ sit difficultas hac in re, eam Adversarium non minus tangere quam Cartesianos. Ex superabundanti tamen, quia meam citat disputationem in causæ suæ patrocinium, breviter apponere lubet, quæ ego eo loco dixi. Thesi nimirum 2. & 3. probo ad auditam vocem Deus, in mente nostra formari ideam, per quam intelligitur, quid sit Deus, & per quam demonstrari potest ei omnia convenire, quæ perfectionem aliquam includere deprehenduntur; ab ipso autem aliena esse, quæ perfectionis defectum notant. Neque posse probari aliquid alicui convenire vel non convenire, quod non intelligimus quid sit. Ac nisi haberemus ideam Dei, nos non posse in qualibet re finita perfectionis limites & terminos, quos ea non egreditur, notare, sive de ea aliquid negare, quod ei non convenit. Asserta hac veritate, thesi 4. & seq. Adversariorum exceptiones, & objectiones ad examen voco. Inter alia autem noto quosdam esse, qui negant in nobis posse esse ideam Entis infinite perfecti; quia, cum mens nostra finita sit, omnes ejus cogitationes necessario quoque sunt finitæ; quod autem finitum est, non potest esse representamen infiniti. Verum respondeo objectionem illam facile solvi posse ex iis, quæ disputatione 2. thesi 2. notata sunt circa ideas consideratas ratione duplicitis sui esse, proprii scilicet, & vicarii seu representativi. Ac porro dico ideas, quatenus priori modo considerantur, ut sunt modi quidam cogitandi, & mentis accidentia, esse finitas, inde autem non sequi per eas secundo modo consideratas, ut sunt rerum representamina, sive ut per eas intelligitur quid sint res representatae, non posse intelligi quid sit Ens infinite perfectum: ex eodem enim fundamento posse quem & que legitime concludere nullam substantiam in mente nostra posse esse ideam; quia omnes ideas sunt modi cogitandi & accidentia mentis; at nullum accidens potest representare substantiam. Ubi hic, quæso, alia in mente humana constituitur idea Dei, quam quæ sit cogitatio de sapientia, potentia, bonitate prorsus omnigena, neque minus eminentissima, qualem Adversarius concedit? Expressè enim dico eam esse ideam Dei in mente nostra per quam intelligimus quid sit Ens infinite perfectum, id est, omnigena sapientia, potentia, &c. præditum. Si hæc Adversarii idea in mente humana non sit idolum aliquod Dei, neque idea Dei Cartesiana erit. Sed ego statuo ideam Dei in mente existentem, quæ quidem finita sit quoad esse proprium, sed infinita quoad esse representativum.

Respon-

Respondeo me expresse statuere ideas omnes , sive Dei , sive aliarum rerum , prout sunt modi quidam cogitandi & accidentia , sic enim considerantur secundum proprium suum esse , quod in mente habent , esse finitas . Ac dico per ideam Dei finitam in mente existentem , consideratam secundum esse suum repræsentativum , id est quatenus vim significandi à Deo accepit , intelligi posse quid sit Deus , sive Ens infinite perfectum . Falsissimum igitur est me ponere in mente existere repræsentamen aliquod Dei infinitum , sive idolum Dei . Quomodo porro cum hisce non pugnet quod dixi ideas secundum esse suum repræsentativum consideratas eodem inter se differre modo , quo ipsæ res repræsentatae inter se se differunt , paragrapho 11. uti dictum est , clare satis est explicatum .

XVII. Paragrapho 20. Adversarius ait Claubergium , *ideam Dei , qua repræsentamen & imago Dei sit in humana mente , duplicum facere ; quarum altera cogitationi præcurrat , altera cernatur in ipsa cogitatione . Prior illi , inquit , consideratur imago Dei , qua Deus hominem ornavit . Posterior , qua cogitando deinceps ad hanc exprimitur . Sic enim differit . Mens humana non potest formare ideam Dei , nisi Deum ipsum viderit , aut certe imaginem ejus , hanc autem in semet ipsa invenit , quod alias exemplar haberet . Atqui cum imago Dei , qua Deus hominem ornavit , aequivoce tantum vel analogice nuncupetur , certe idea , qua secundum illam præcise conformatur , non erit Dei idea , sed imaginis Dei , qua prorsus aequivoce vel analogice tantum dicitur . Futilis ista est cavillatio . Sensus verborum Claubergii talis est . Quemadmodum pictor non potest pingere regem Galliæ , nisi eum viderit , aut certe imaginem ejus , quam nimis ab alio pictam novit faciem ejus referre , sive repræsentare : nam rex alias ipse non foret pictura archetypum . Ita similiter mens humana non potest formare ideam Dei , id est , Deum sibi repræsentare sive intelligere quid sit Deus , nisi saltem in se se invenerit imaginem Dei (qualis autem intelligatur ista imago ex superius dictis est manifestum , est nimis idea Dei nobis innata sive creando indita , id est , est facultas formandi actualē Dei ideam) qua mediante Deum ipsum in mente sua exprimat . Iste est comparationis hujus scopus , ultra quem ea non est extendenda . Hæc cum ita sint , palam est Adversarium Claubergii mentem malitiosè detorquere , cum fingit , qualis is statueret imaginem Dei in homine (qua significat facultatem formandi ; uti dictum est , ideam Dei creando à Deo nobis inditam) esse archetypum secundum quod idea actualis Dei præcise conformatur ,*

matur, ita ut idea Dei foret idea imaginis Dei in nobis; cum Clau-
bergio sit ipse Deus, qui illam facultatem nobis concessit, sine quo
impossibile foret ideam Dei excitare. Quantum ad duplarem ideam
Dei, quarum altera cogitationi præcurrat, altera cogitando deinceps
ad hanc exprimitur, satis de eo in præcedentibus dictum est. Porro
cum quæ Adversarius subjungit immedia sunt tantum inanes repeti-
tiones eorum, ad quæ jam ante responsum est, iis examinandis non
est quod lectorem distineam.

XVIII. Disputatione 2. thes. 2. de Naturali Dei cognitione, ubi
ago de dupli idearum esse proprio, & vicario seu repræsentativo &
significativo, dixi *in idea, ut in omnibus signis, esse rem, que ad aliquid*
significandum instituitur, & esse rem que significatur, ac pro exemplo pro-
popui hederam, quæ, quatenus est corona ex ramis hederaceis complicata,
distinguitur à vino venali mente appreheſo, quod per eam significatur. Ad
hoc exclamat Adversarius, Bone Deus! inquit, Quemquam tam esse
judicio tenui Philosophum, vel etiam nullo potius! Hocce declarandum erat
signum & rem significatam à ſeſe invicem differre? Hederam à vino venali?
mente appreheſo, vel non appreheſo, minime refert. An non illustrandum
erat immane diſcrimen inter esse proprium idearum, & eſſe vicarium seu re-
prætentativum? An vinum venale, quamlibet mente appreheſum, eſſe
vicarium seu reprætentativum hedera! Exprobationem iſtam nihil mor-
tor. Res ipsa doceat oportet num bene vel male philosophatus sim.
Egone autem hic declaro signum & rem significatam à ſeſe invicem
differre? Hederam à vino venali? Illud dico in omni signo eſſe rem
quæ ad aliquid significandum instituitur, qualis exempli gratia eſſe
corona ex ramis hederaceis complicata absolute nimirum considerata.
In eodem signo dico eſſe rem significatam, nempe non realiter & for-
maliter, sed significative, id eſſe eo modo quo res significata in eo eſſe
potest, cum consideratur cum relatione ad eam rem, ad quam signi-
ficandam eſſe institutum. Ita exempli gratia in corona ex ramis hede-
raceis complicata eſſe vinum significative, postquam ea ad illud
significandum eſſe instituta. Prius eſſe eſſe signorum eſſe proprium, al-
terum eſſe corum eſſe vicarium. Cum igitur ego loquor de eo quod
considerandum eſſe in hedera, non possum intelligi de vino venali,
uti per calumniam Adversarius mihi affingit. Ad eandem rationem in
idea dico duplex illud eſſe proprium, & vicarium, sive reprætentati-
vum & significativum eſſe considerandum.

XIX. Eadem thes. 2. ubi ostendo ideas consideratas secundum eſſe
ſuua

suum vicarium longe aliter inter se se differre, quam easdem consideratas ratione esse sui proprii, secundum quod differunt tantum à mente & inter se modaliter, rem istam ulterius declarare institui, per similitudinem desumptam à pictura, hisce verbis: *Pictura est representamen rei, que per picturam representatur. Illa tantum differunt inter se, quatenus considerantur secundum esse suum proprium, diversis modis quibus colores juxta se invicem in tabula disponuntur: at, quatenus considerantur secundum esse representativum, longe alia inter eas intercedit differentia, prout una representat canem, alia leonem, alia hominem, alia sylvam, montem, &c.* Secundum eandem rationem ea que de ideis à me dicta sunt explicanda esse volo. Quid ad ista Adversarius? Supponit, inquit, *Vir Celeberrimus*, ideas esse picturarum instar: quod immane postulatum & plane contra est. Si Adversarius istud ita intelligat, ut dixerim, quemadmodum in picturis, quae sunt repräsentamina rerum per eas repräsentatarum, differentia, quae inter eas intercedit, quatenus considerantur secundum esse suum vicarium, longe alia est, à differentia, quae inter eas est, quatenus considerantur secundum esse suum proprium; secundum eandem rationem id intelligendum esse de ideis, mentem meam fideliter expressit quidem; sed probandum ipsi foret istud plane contra esse. Si vero ita intelligat, ut dixerim, quoad modum repräsentandi & significandi utrobique eandem esse rationem, quasi nimirum in mente forent repräsentamina, sive species quædam intelligibiles, & imagines congeneres, adinstar picturarum objecta repräsentantes, mala fide mentem meam detorquet; velut & ante visum est ipsum fecisse cum tali modo sententiam Cartesianorum de idea Dei explicituit. Porro mirum ipsi videtur quinam, picturas quod attinet, concipere potuerim esse quoddam representativum sive vicarium ultra colorum adulteria, linearum ductibus flexibusque, diversissimis modis atque proportionibus, variegata: quod est earum esse proprium sive formale simul atque vicarium seu representativum. Nugæ. Neque enim ego dico in picturis, ut sint objectorum repräsentamina, ultra colorum adulteria, linearum ductibus flexibusque, diversissimis modis atque proportionibus variegata, aliud quid esse. Sed hoc dico quod omnibus notum est, nimirum aliud esse considerare istos colores, & diversissimos modos, quibus illi inter se disponuntur in tabula, in se absolute ratione suæ naturæ, in quo consistit picturarum esse proprium; aliud esse hæc eadem considerare quatenus referuntur ad objecta, quae per ea repräsentantur: atque in hoc consistit picturarum esse vicarium. Istud

impugnare debuisset Adversarius, & probare non aliter inter se se dif-
ferre picturas secundo modo consideratas, quam priore.

X X. Claubergius Exercitatione 6. de Naturali Dei cognitione ob-
servat conceptum seu ideam omnem duplicum habere dependentiam, unam à re
concipiente sive cogitante intellectu, quatenus ejus operatio est: alteram à re
concepta aut simili, cuius scilicet representatio sive imago est, sive unde per
imitationem expressa est. Item, Intellectum esse causam conceptus efficien-
tem, uis operans sua operationis causa est: rem vero conceptam (aut certe
aliud quid eque perfectum) esse causam conceptus exemplarem (que quidem
etiam ad efficientem reducitur) atque eo modo ad conceptum referri, quo ar-
chetypon ad clypon, apographum ad autographum. Præterea, Fieri non
posse, ut conceptus aliquis sit perfectior utraque illa causa efficiente, priori ri-
delicet, secundum esse suum formale (nam conceptus forma quoddam mentis
est, unde & formalis cognominatur) posteriori secundum esse suum objecti-
vum, sive representativum; nam hisce duobus modis diversis resertur quilibet
conceptus ad duas illas causas diversas, quas habet ex sua natura semper.
Adversarius noster paragrapho 21. à triumpho de victoria expugna-
ti, scilicet, portenti duplicitis esse conceptuum sive idearum, valde ex-
ultans, non injucundum fore ait, paulisper attendere, quam con-
venienter suæmet ipsius hypothesi Claubergius argutetur de gemina
conceptuum sive idearum dependentia. Nam si plane, inquit, conce-
ptus nostri de Deo, sive idea Dei, comprehendenderent esse quoddam representati-
vum & imaginosum, vere distinctum ab esse suo formali, sive proprio; scire
velim, quamnam illud esse representativum & imaginosum habeat causam ef-
ficiensem? An non mentem humanam, que cogitando scilicet ideam format?
Itaque dependentiam suam habebit ab humana mente, tanquam causa prin-
cipali proxima faciente. Ceterum ad causam exemplarem utique relationem
habebit, sed nullam omnino dependentiam velut à causa. Quippe cum cau-
sa exemplaris nomine quidem causa sit, at re non sit. Nec enim quicquam
operatur: sed objectum duntaxat est, ad quod artifex respiciens id quod ani-
mo destinabat efficit. Quapropter si conceptus noster de Deo, sive idea Dei,
revera continet ejuscemodi quoddam esse vicarium, quod infinitum sit in repre-
sentando, quoque conceptus noster de Deo tantum differat ab ideis aliarum re-
rum, quantum Deus ipse differt ab aliis rebus, id est, infinitis modis; hoc in-
finitum esse representativum sive vicarium nostra mens valde finita produxerit.
Quid autem fiet? si quis hoc jam triviale diverbiū applicet, Non habet, non
dabit? Quod à Cartesio, Claubergio, nec non à Viro Celeberrimo, toties
frequentatur, & ad causam exemplarem, hoc est, ad non causam frivole ni-

mis & perperam traducitur. Verum respondeo quandoquidem paragra-
pho 11. & alibi ostensum est Adversarium ubivis mala fide Cartesia-
norum mentem de duplice idearum esse proprio, & vicario, inter-
pretari, quasi nimirum statuerent ideam Dei, præter esse suum pro-
prium, quod habet à mente, cuius est operatio & modus, sive cer-
ta cogitandi forma, habere aliud aliquod esse vicarium absolutum à
priori distinctum, quod sit idolum aliquod Dei infinitum, ejusdem
cum eo quidditatis in mente existens; cum illi nullum aliud esse idea-
rum absolutum in mente existens agnoscant, quam quod ex mutuan-
tur à mente tanquam causa producente; atque dicant esse idearum re-
præsentativum nullam novam entitatem seu quidditatem absolutam
ideis superaddere; illud esse earum easdem esse ideas, nimirum qua-
tenus considerantur cum relatione ad objecta, quæ per eas cognoscun-
tur, & intelliguntur, & ad quæ cognoscendum & intelligendum à na-
tura, seu potius auctore naturæ, sunt ordinatæ. Quandoquidem, in-
quam, hæc ita sint, frustra queritur, quamnam illud esse repræsen-
tativum habeat causam efficientem sive producentem; quia manife-
stum est Cartesianos nullam præter mentem ipsam agnoscere. Quo-
modo igitur idea poterit dici duplicem habere dependentiam, alteram
à cogitante intellectu, cuius operatio est; alteram à causa exemplari,
unde per imitationem expressa est? Respondeo; quamvis causa exem-
plaris ideae proprie dicta causa non sit, quæ reali influxu operetur, re-
duci nihilominus ad causam efficientem solet, à qua idea per conse-
quens non tanquam ab operante dependet, sed velut imago ex. gr.
Regis Galliæ dependere dicitur à Rege Galliæ ad quem facta est, &
absque quo non esset ejus imago. Neque Claubergius dicit causam
exemplarem esse proprie dictam causam efficientem, sed ad eam reduci.
Futilis igitur quoque est cavillatio, cum dicitur, Si conceptus noster
de Deo, sive idea Dei, revera continet ejuscemodi quoddam esse vica-
rium, quod infinitum sit in repræsentando, quoque conceptus no-
ster de Deo tantum differat ab ideis aliarum rerum, quantum Deus
differt ab aliis rebus, id est infinitis modis; hoc infinitum esse repræ-
sentativum sive vicarium nostram mentem valde finitam produxisse.
Istud enim uti superius visum est à mente Cartesianorum est alienissimum.

XXI. Adversarius paragrafo 22. concludit *toto cœlo eos errare,*
qui speciem intelligibilem (qualem scilicet ipse in præcedentibus affinxit
Cartesio) *singunt, in qua contemplari Deum oporteat.* Ac præterea *extrema*

tremo stoliditatis esse ait, contemplationem Numinis illuc referre, quasi cogitando veluti Doctrinam quendam in animis nostris efformemus, & esse quoddam representativum, quod infinitis modis ab ideis aliarum rerum differat. Verum ista Cartesianos, uti ex hac tenus disputatis liquido constat, nullo modo tangunt. Eodem paragrapho aliud Cartesii adducit argumentum pro Divini Numinis existentia, quod occurrit meditatione 5. quodque ego disputatione 6. de Naturali Dei cognitione in hanc formam proposui. Quocunque clare & distincte percipitur in idea alicujus rei contineri, illud vere semper de ea re potest affirmari. Atqui existere necessario in idea Entis infinite perfecti percipitur clare & distincte contineri. Ergo. De majoris veritate nemo dubitare potest, qui attendit ideas sive conceptus claros & distinctos rerum in mente existentium, id est, cognitionem evidentem esse normam ad quam judicia nostra sunt exigenda, ut errores evitemus, & certi simus nos bene judicare, uti latius disputatione 5. declaratum est. Neque minus evidens est veritas propositionis minoris. Nam non existere, vel posse non existere, defectum, imperfectionem, & naturae imbecillitatem arguere, cui opponitur omni sufficientia, quæ est positiva & absoluta perfectio negationem ac privationem omnem tollens ac supplens, à nemine sanæ mentis negari potest. Argumentum hoc absque censura quidem dimittit Homo valde benignus? Sed prævisse ait Philosophos, Theologos, Scholasticos, magno numero, atque illud idem argumentum esse de quo disputant apud Thomam, &c. satisque constare Cartesium ad id, præter mysticam vocem ideæ, nihil admodum de suo contulisse. Respondeo 1°. Nunquam Cartesium vel Cartesianos dixisse, ante hac nulla fuisse argumenta solida ad demonstrandum existentiam Divini Numinis. Quid si igitur eodem etiam alii usi fuissent? Quid inde conficitur? Sane aliud nihil, quam non omnia esse nova, quæ hac de re Cartesius tradidit. 2°. Si adversarius primas legisset objections ad Meditationes de prima Philosophia, in quibus Auctor ille idem illud argumentum cum eo quod apud Thomam occurrit confert, ut idem esse probet; & Cartesii responzionem, qua ostendit magnam inter suum & Scholasticorum apud Thomam argumentum intercedere differentiam, aliter fuisse opinatus.

XII. Cartesius Meditatione 3. aliud habet argumentum, quo existentiam Dei demonstrat; quodque ego, ut captui studiosorum magis esset accommodatum, in hanc disposui formam Disputatione 7. de Naturali Dei cognitione. Cum mens nostra, ex eo quod suarum

rum cogitationum sibi est conscientia, certa est se existere, & quam plurima sibi deficere; atque etiam deprehendit se habere ideam Dei sive Entis infinite perfecti, facile etiam animadvertere potest, si attendat, se non esse talis naturae, ut per propriæ suæ essentiae sufficientiam existere possit; sed necesse esse ut ab alio producatur, qui per essentiae suæ immensitudinem existit, possidetque per se omnia, quæ perfectionem aliquam includere intelliguntur, hoc est, qui est Deus. Quod hac ratione ulterius demonstravi. Si mentis nostræ naturam intime perlustremus, manifeste videmus eam talem esse, ut partes durationis ejus sint successivæ, & ita sejunctæ, ac separatae a se mutuo, ut una aliam non includat, sed ita sequatur, ut una plane esse desierit, antequam alia sit: desit enim duratio hesterna, antequam hodierna inchoetur. Quia vero quis forte objicere posset, successionem illam partium durationis menti esse extrinsecam, eique non nisi per externam denominationem posse attribui; ex eo nempe, quod mens nostra coexistat cum successivis partibus motus corporum cœlestium, sive cum partibus temporis, quibus tanquam mensura uti solemus in cujusvis rei duratione definita; inde autem non sequi mentis durationem internam constare partibus, quæ intrinseca sua natura differunt. Respondi certissimum esse ex coexistentia rerum cum partibus temporis externi successivis non sequi partes durationis rerum esse distinctas & successivas. Ac pro exemplo adduxi Deum, in cuius duratione nullam partium successionem locum habere postea demonstravi, etiamsi omnibus partibus temporis successivis coexistat. Verum addidi, cum dixi talem esse mentis nostræ naturam, ut partes durationis ejus sint successivæ, id intelligendum esse de partibus durationis internis in se consideratis, citra respectum ad tempus externum, vel etiam licet nullum tempus externum esset. Cujus veritatem ita porro demonstravi. Si ad ipsas nostras cogitationes sibi mutuo succedentes attendamus, deprehendimus aliam esse durationis partem, qua mens nostra, cuius nimirum essentia consistit in cogitatione, determinata est ad affirmandum; aliam, qua postea determinata est ad negandum; aliam rursum, qua alias determinata est ad objectum aliquod nude sibi representandum, & sic in ceteris: partes enim omnes illæ ita sibi mutuo succedunt, ut una aliam non includat, sed ab ea plane sit sejuncta & separata, ut per se est manifestum. Imo si partes istæ durationis mentis simul forent, (quod necesse esset, si non distinguerentur,

sed forent una & eadem duratio) omnes illæ variæ cogitandi formæ simul quoque in ea essent, cuius contrarium patet. Atque inde hanc deduxi conclusionem, nimurum ex eo quod mens nostra, exempli gratia, nunc sit, illud propterea præcise non esse, quia ante fuit; neque ex eo sequi illam postea fore: quia quæ ita plane diversa sunt sua natura, ex iis unum sine alio esse potest, neque à se mutuo sua natura dependent. Post hæc inquirendum esse dixi ulterius, unde fiat, ut partes durationis nostræ mentis connectantur & continuentur, atque ea continuo esse perseveret. Ac manifestum esse docui ad id requiri vim, quæ continuo eam de novo creet; quia, cum prius esse ejus desit, & est nihil, novum esse necessario ex nihilo produci, id est creari debet. Deinde ut determinarem in quo tanta vis esse possit, in hunc porro modum sum ratiocinatus. Vis illa vel in ipsa nostra mente residet, vel in alio. At non potest esse in mente nostra, 1°. quia cum ea sit res cogitans, quæ variis tantum cogitandi actibus & modis potest determinari (quemadmodum corpus, sive extensio variis tantum extensionis modis est determinabilis) nulla potest in ipsa esse vis, quæ in actum deducitur, nisi istius sibi sit conscientia: non enim foret cogitandi actus sive modus, nisi mens sibi ejus foret conscientia. 2°. Si mens nostra vi propria emergere posset ex nihilo, & sibi substantia cogitans, cum facultate ideam Entis infinite perfecti formandi, nec dubitaret, nec optaret, nec omnino quippiam ei deesset: omnes enim perfectiones, quarum idea in ipsa est, sibi dedisset, atque adeo esset ipse Deus: nec putandum est, illa sorsan quæ menti defunt difficilius acquiri posse, quam illa quæ jam in mente sunt; nam contra manifestum est longe difficilius fuisse substantiam cogitantem ex nihilo emergere, quam multarum rerum quas ea ignorat cognitiones, quæ tantum istius substantia modi sunt, acquirere. Ac certe si majus illud mens ex se haberet, non sibi saltem illa, quæ facilius haberi possent, denegasset: sed neque etiam ulla alia ex iis, quæ in idea Dei contineri percipit; quia nempe nulla difficultiora factu videntur: si quæ autem difficultiora factu essent, certe etiam ipsi difficultiora factu viderentur, siquidem reliqua, quæ habet, à se haberet, quoniam in iis potentiam suam terminari experiretur. 3°. Etiam si nullæ aliæ rationes forent, quæ suaderent nihil propria vi ex nihilo posse emergere, adeo tamen id manifestum est per se, ut rationes non videantur esse exigendæ: si enim poneremus nihil in rerum natura esse, an intelligibile est aliquid unquam fore? Existentia igitur mentis nostræ ejusque continuatio necessario

cessario ab alio pendet: at qualisunque allegetur causa, nisi ea existat propria essentiæ vi, & sufficientia omnimoda possidendi omnes perfectiones, quarum ideam in nobis experimur, sit prædicta, id est, nisi ea sit Deus, nihil efficietur: de ea enim eadem recurret difficultas, donec tandem ad Deum perveniatur. Non enim hic dari potest progressus in infinitum: quia quidquid est vel existit per se, vel dependet ab alio: sed non possunt omnia dici pendere ab alio, præsertim cum sermo sit de iis, quæ actu hoc momento existere debent, quo mens per creationem de novo est producenda. Est igitur Deus, qui essentiæ suæ sufficientia existit, & à quo mens nostra suum esse continuo habet. His demonstratis, quid Adversarius dicat examinandum venit. *Nihil aequæ*, inquit ille paragr. 23, *mentibus humanis obvium est cognitu*, quam sua cognoscendi parvitas & exilitas. *Unde manifestum est*, non tantum illas à se ipso non existere: sed neque deinceps etiam posse ullo modo persistere, nisi per continuam creationem veluti reproducantur. *Enimvero creationem atque divinam conservationem rerum creatarum non aliter à se ipso invicem differre*, nisi sola ratione, vulgatissimum est effatum Peripatetice philosophantium; sicut videre licet apud Suaresium diff. Met. 21. *Hoc argumentum tetigit Cartesius tertia Meditatione*. Quoniam (verba sunt Cartesii) omne tempus vita in partes innumeratas dividi potest, quarum singulæ à reliquis nullo modo dependent, ex eo, quod paulo ante fuerim, non sequitur me nunc esse debere, nisi aliqua causa me quasi rursus creet ad hoc momentum, hoc est, me conservet. Perspicuum enim est attendenti ad temporis naturam, eadem plane vi & actione opus esse ad rem quamlibet singulis momentis, quibus durat, conservandam, qua opus esset ad eandem de novo creandam, si nondum existeret: adeo ut conservationem sola ratione à creatione differre sit unum ex iis quæ lumine naturali manifesta sunt. Itaque debo interrogare me ipsum, an habeam aliquam vim, per quam possim efficerre, ut ego ille qui jam sum paulo post etiam sim futurus. Nam cum nihil aliud sim quam res cogitans: vel saltē cum de ea tantum mei parte præcise nunc agam, quæ est res cogitans, si quæ talis vis in me esset, ejus procul dubio conscientia esset: sed & nullam esse experior, & ex hoc ipso evidentissime cognosco, me ab aliquo ente à me diverso pendere. Hactenus Cartesius. Quibus adversarius ista subjungit. *Hæc*, inquit, *ratiocinatio nihil aliud continet*, quam argumenti longe vulgarissimi, quod peti solet ab existendi tenuitate creaturarum omnium & quarumlibet ad solas mentes applicationem. Et paulo post: *Ceterum conscientia*

quam *predicat & experientia nullius virtutis*, per quam semet ipsam conservet mens nostra, nihil aliud esse potest, quam conscientia & experientia sua vanitatis & imperfectionis, & indigentiae, qua creaturis omnibus omnino communis est. Sed & illud, inquit, itidem notari velim, partes temporis, quas è vulgari modo loquendi Cartesius in subsidium vocat, àequivoce comprimit & cattachresice dici, quum certum sit partes proprie non esse nisi corporum. Atqui duriorem etiam abusione facit Vir Cel. qui connexionem partium durationis humanae mentis atque continuationem exerte nuncupavit. Mirum nisi forsitan & hamatas & uncinatas temporariae durationis partes, aut particulas, aut saltēm juxta seū invicem quiescentes, apud animum suum somniaverit. Quanto simplicius apertiusque rem totam expedient vulgo Philosophi, Theologi, Scholastique, quorum hoc est effatum longe receptissimum, plane creature aliter cogitare non posse, nisi quæ semper à causa prima pendeant, ab eaque per eundem actualēm influxum, quo creatæ sunt, semper esse suum recipiant: sicuti legere licet apud Suarezum Disputatione modo citata. Post hæc quasi cuncta, scilicet, ex voto ipsi in hac diatribe felicissime successissent in hunc concludit modum. *Quo me cunque, inquit, verto, nihil occurrit, quo tantopere Theologiam naturalem de suo Cartesius exornaverit, atque rule meus homo Celeberrimus: at quibus eam deformaverit abunde multa, nisi fal- lor, jam demonstrata sunt.* Ad ista respondeo. Non eum esse controverbia statum, an ex cognoscendi parvitate & exilitate, cuius mens humana sibi conscia est, perveniri possit ad cognitionem Dei Potentissimi, à quo ipsa in fieri & esse depéndeat; Sed quomodo eo perveniantur. Cartesius hoc loco docet certissime ad Deum existentem perveniri ex consideratione durationis successivæ mentis nostræ in seū habentis ideam Dei, eo modo, quem ex disputatione mea 7. de Naturali Dei cognitione in principio hujus paragraphi proposui; cuiusque argumenti partem tantum aliquam Adversarius ex Cartesio hic allegavit. Quæritur an quispiam ante Cartesium istam methodum existentiam Dei demonstrandi sectatus fuerit. Et an in demonstratione, quo minus sit certa & efficax, quippiam deficiat. Neutrū eorum ab Adversario ostenditur. Non prius: nam quantum ad Suarezum, quem è Theologis & Scholasticis unicum in causæ patrocinium producit, utpote qui Disputatione 21. tradat *Creationem, atque divinam conservationem rerum creatarum non aliter à seū invicem diffrere, nisi sola ratione.* Item, *creature aliter cogitare non posse, nisi quæ semper à causa prima pendeant, ab eaque per eundem actualēm influxum, quo creatæ sunt, semper esse suum recipiant.* Respondeo me summopere mira-

mirari, quod cavillator putarit se istac ratione lectoribus persuasorum illa, quæ toto cœlo differunt, nihilque inter se commercii habent, esse plane unum idemque. Suaresius enim ista disputatione nihil minus agit, quam ut Divini Numinis existentiam proberet, nam in principio disputationis 20. hæc ejus verba leguntur: *De prima causa secundum se, & secundum eas perfectiones, qua ipsi insunt, nihil nunc dicemus, imo neque de existentia ejus: sed supponimus nunc esse Deum, quod infra demonstrabimus.* Dicemus ergo de efficientia hujus primi entis in alia, & de dependentia aliorum ab ipso, quæ triplex esse aut considerari solet, scilicet in fieri, in conservari, & in operari. Longe igitur abest, ut dici possit Suaresius hoc loco Cartesio prævisse in Divini Numinis existentia demonstranda. Quin imo, ubi ille necessitatem conservationis creaturarum probat, argumentum non dicit à natura durationis successivæ earum, veluti Cartesius facit; sed aliunde eam probat. Neque etiam ubi postea Deum existere ostendit, quippiam habet, unde quis suspicari possit Cartesium hoc suum argumentum ex ipso haufisse, ut omnibus notum est, qui metaphysicam ejus legerunt. Quod vero dicit Cartesii ratiocinationem hanc nihil aliud continere, quam argumenti longe vulgatissimi, quod peti solet ab existendi tenuitate omnium creaturarum, &c. in eo ipsi credemus cum adduxerit autores qui existendi tenuitatem eo modo considerarunt ac Cartesius: quod proculdubio hic fecisset, si quos novisset. Sed neque etiam posterius, scilicet in Cartesiano hoc arguento, quod ad certitudinem & efficaciam spectat, quippiam deficere, ab adversario probari potest. Nam quæ de partibus temporis sive durationis objicit, quod nimirum illæ *equivoce & catachrestice dicantur*, quum certum sit partes proprie non esse nisi corporum; & quod ego *duriorem etiam abusivem fecerim*, qui *connexionem partium durationis humanae mentis atque continuationem exerte nuncupavi*, explosione digna sunt. Certe si cerebrum habuisset bellum hoc caput rationibus conatus esset evincere tempus internum sive durationem mentis humanae non esse compositam ex partibus proprie dictis sibi mutuo succendentibus: non enim, ut opinor, tantam sibi conciliavit auctoritatem, ut quidquid effutierit, fidem statim mereri debeat. Præterea nihil certius esse potest quam durationem mentis non minus proprie dictis constare partibus, quam corpora, quamvis illius partes sint successivæ, quarum una aliam insequitur, horum vero partes sint simul. Quid enim, quæso, aliud sunt partes proprie dictæ in composito, quam plura ex quibus unum non

est aliud, & quæ compositum constituunt? Talia autem plura in
mentis duratione locum habere manifestissimum est; demonstravi
enim aliam esse durationem mentis, quæ fuit & desit esse, aliam quæ
sequitur, & quidem ita ut una aliam nullo modo includat. Cur sal-
tem ista non est conatus refutare? Quæ porro blaterat de partibus
hamatis, &c. artis scurrandi Doctor, nihil moror. Ex iis quæ hac-
tenus disputata sunt luce meridiana clarius patet, ne in uno quidem
apice velitationem hanc Adversario feliciter successisse; sed præter
inanes cavillationes, falsas criminationes, & scurrilia dictoria, quæ
genium ejus mirifice declarant, nihil in medium produxit. Longissime
igitur abest, ut demonstraverit nihil prorsum à Cartesio re-
cte vereque dictum esse, quod non dictum copiosissime fuerit prius:
& quod argumentationi vulgatae addidit, meram & vanissimam esse
corruptelam, & aliunde tamen hanc ipsam quoque desumptam,
quemadmodum se facturum esse cum maxima temeritate jactitavit.
An autem res melius ipsi sit successura, cum universam Cartesii di-
sciplinam Physicam, uti promittit, ad partes est vocaturus, tem-
pus docebit.

F I N I S.



21/43